This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600096075X

SCHEDAE VATICANAE.

SCHEDAE VATICANAE,

IN QUIBUS RETRACTANTUR

PALIMPSESTUS TULLIANUS

DE RE PUBLICA,

C. IULIUS VICTOR, IULIUS PARIS,
IANUARIUS NEPOTIANUS, ALII

AB ANGELO MAIO EDITI.

SCRIPSIT

G. N. DU RIEU.

LUGDUNI-BATAVORUM

APUD E. J. BRILL,

1860.

296. e. 17.

Σύνταγμα misi retractatius et quidem ἀρχέτυπον ipsum crebris locis inculcatum et refectum.

Cic. ad Att. XVI, 3 § 1.

PRAEFATIO.

Duo abhinc anni sunt, ex quo in Bibliotheca Vaticana eos libros manuscriptos evolvere coepi, quos Angelus Maius thesauros reconditos in summum rei litterariae emolumentum effodit. In qua longa diversorum scriptorum serie eos mihi primum conferendos duxi auctores Latinos, quorum opera philologiam praesertim spectant. Scriptores enim Theologos libenter iis reliqui examinandos, quos videbam in illo campo versantes, doctissimos volo e Benedictinis, qui Romae sunt; libros de Iure e Maii collectionibus aut iterum a viris consultissimis sciebam inspectos, aut in usum Mommsenii unus ex amicis meis conferebat; scripta Grammatici argumenti prae temporis angustiis pauca attigi; quae porro Medicinam spectant retractavi quidem, sed non mea cura prodibunt, quibus me imparem esse sentio, verum propediem indefessus philologus Darembergius, doctrina medica aeque ac laude litteraria clarus, Scriptores illos de Re Medica restitutos et integriores in publicum emittet. Cetera vero fere omnia opera classica, quae Maius e codicibus Vaticanis primus edidit, contuli itidem primus post mortem doctissimi editoris. Horum partem priorem iam nunc exhibeo, alteram post-

ea emissurus Frontonis nempe Epistolas, Scholiastem Bobiensem cum Ciceronis Fragmentis, eadem ratione, qua usus sum in his scriptoribus, quos integros iterare non lubebat, neque nudam eorum proferre Lectionis Varietatem, quam ob causam sic agere placuit, ut de codicibus tantum pauca quaedam monerem, quibus opus esse videbatur, subiecta disputatione de iis locis, quibus hae curae secundae profuerunt.

Hisce monitis iam in eo eram ut fatis suis libellum relinquerem, quum mihi allata est dissertatio de Ciceronis libris de Re Publica, quae nescio quo infortunio ad hunc usque diem me latuerat, et nunc paululum me moratur. Est disputatio lectu pariter atque scitu digna, quae exstat in uno ex illis Fasciculis, qui singulis mensibus Parisiis prodeunt Doctorum nomine, qui eos conscribunt.

Censuram eam volo (*Journ. des Savants*, 1859, *novembre*, *p.* 655), *quam Ch. Giraud egit de laudati operis Tulliani versione Gallica altera, quam haud diu ante curavit Villemain, vir eloquentiae laude clarus, cuius hoc novissimum opus aequi iudices uno ore celebrant; nec ego quidquam de laudibus summi viri detrectabo, etiamsi haec ipsa classicorum interpretatio vero litterarum studio mihi obstare videatur. Languescunt enim studia philologica apud facundissimum populum, litteris fere dixerim natum, in cuius usum «Bibliothecae,» ut dici solent, eduntur ita institutae ut, si Graecus sit liber, versio Latina, sin vero Latinus contextus, Gallica interpretatio dextro submittatur oculo, dum ipsius classici opus sinistro relinquatur; unde sequi assolet, nam prae morum elegantia illis non licet esse amphidexios, ut hic altero submissior dextrorsum aberret. Hoc malum etiamsi*

multis non videbitur, gravius est et proh dolor! tam late patet, ut huic veram istam tribuerim querelam, quam unum e Gallis doctioribus audivi moventem: «iam eo perventum est ut librum Latinum subhorrescamus.» Sed non lubet hoc argumentum longius persequi.

Aliud volo; res mihi est cum docto illo censore, qui quo melius Villemainii laudet alteram versionem, (quae ut plerumque fit, longe distat vel saltem distare dicitur a superiore), primum persequitur Maii curas secundas, quae admodum profuerunt textui Tulliano. Spero fore ut melius mox probet, quo nomine docta et elegans altera praestet Gallica interpretatio, quam quod de editore Romano demonstraverit. Fallitur enim hac in re vir doctissimus, et ita, ut verbo saltem illius errores redarguere debeam.

Contendit ille (*p.* 666) *fere singulos versus prioris editionis distare ab iis in secunda recensione atque ex Libro I affert* 12 *exempla, quibus hoc discrimen palam fiat. At neque illud verum est, neque hi loci re vera in altera editione emendati sunt. Nam Cap.* 29 § 45 (tyrannis popularis *pro* tyrannica populari), *Cap.* 35 § 54 (in primo autem *pro* in primo genere tamen) *et Cap.* 36 § 65 (docti expolitique docti *pro* docti indoctique) *iam in prima editione emendavit Maius, nempe in Addendis p.* 332 *et* 333, *sed latebant illa Gallicum editorem, qui quo citius versionem et editionem subtexeret, singula folia quamprimum sibi submittenda curaverat, antequam integrum opus editum esset; hinc factum est, ut Maii Praefatio adhaereat editioni Gallicae; sed Maii Additamenta et Emendationes, quae quinque paginis continentur, etiamsi sperni omnino non debuerant, non iteravit Villemainius.*

Tum vocabulum (Scipio) *Cap.* 37 § 58 *in editione altera suppletum Villemainius olim in marginem reiecerat, non Maius. Porro Cap.* 42 § 65 (mihi *pro* tibi, *non* ubi) *iam innotuerat varietas prioris editionis iis saltem lectoribus, qui in locis corruptis notas criticas non contemnunt. Deinde dubito rectene legerit Cap.* 18 § 30 (quaerit *pro* quid sit). *Sequitur Cap.* 12 § 18 (Scipionique *pro* Scipioni quo) *et Cap.* 38 § 60 (vere *pro* movere), *uterque locus a viris doctis emendatus erat, quibus Maius subscripsit, dum ex mea Collatione apparebit iam correctorem illa in palimpsesto emendasse. Denique in Cap.* 40 § 62 *vir doctus acquiescit in Maii correctione* (de quo progrediente oratione futura me dicturum puto *pro* de quo progrediente oratione ventura me dicturum puto) *iam in notis olim proposita, sed item spernenda, nam quod viri docti coniecerant* multa, *nexui quidem convenit, verum mea Collatione adiutus Cobetus* plura *supplendo veram Tullii manum restituit. Pergit vir doctus in loco de orthographia, in qua quid altera priori editioni praestet, nunc inquirere non lubet; uno loco defungar, quem idem ille attigit (p.* 667), *Libri II est Cap.* 4 § 7, *ubi disputant de adventiciis mercibus moribusque in urbibus maritimis* (atque etiam quum manent corpore, animo tamen excurrunt et vagantur), *Maius varietatem notaverat* excurrant, *unde factum erat* excurlant; *viri docti fecerunt* excursant, *quod ingeniosum esse dixit et haesitanter non accepit; sed haesitandum non erat, verum codice iterum inspecto legere debuerat* exulant; *sic enim recte emendatum est.*

Est autem hic unus e multis illis locis, ubi Maius carpenda quadam negligentia miscuit secundae manus emendationem cum

priore scriptura, et sic mea Collatio passim textui Tulliano prodesse poterit. In qua elaboranda quum versarer, firma apud me nata est suspicio Maium non totum librum altera vice examinasse, verum iam substitisse in iis locis, quos viri docti agitaverant. Hinc alteram editionem cave ne pro archetypo habeas, ut viro docto videbatur (*p.* 668). *Nec adeo excellit, ut cum eodem* (*p.* 668) *queramur eam nimis latere in praegrandi Maii collectione diversorum auctorum; quam querelam miror Parisiis esse motam, ubi in celeberrima Bibliotheca Regia nullam ex tribus Maii Collectionibus integram invenire mihi licuit anno* 1857, *cui defectui, quo tunc valde impediebar libros manuscriptos rei grammaticae in illa bibliotheca excussurus, me tandem monente succursum est.*

At censor noster alteram adhibuit editionem Romanam, imo Maii notas, quas (*p.* 667) *recte summi momenti esse contendit,* « *quippe quae editoris stupendam testentur eruditionem. In qua-* « *rum una iis, ad quos Romanorum ruderum investigatio perti-* « *net, locum indicat, ubi credat conditas adhuc iacere aeneas* « *tabulas XV virum.*» *Non possum quin maculam, qua imprudenter summus Italus adspergitur, eluam; famam enim istam de XII tabulis in Capitolio sepultis iis Maurinis debemus, qui Augustini curaverunt editionem, quam ubi Maius subridens, opinor, descripsit, summo iure addidit* Gerrae! *Contra quod anno* 1828 *magnus ille impense orabat Rei Romanae Antiquariae praesidem, clarissimum Feam, ut sine mora investigarentur in Aede Divi Iulii Fastorum Capitolinorum latercula, serio dictum erat, nec absurde, nam anno* 1849 *re vera sub ruderibus Basilicae Iuliae contiguis erutum est Fastorum Collegii Sacerdotalis frag-*

mentum; sed sanum illud votum in pagina 212, *id est sinistra scriptum, fugerat Galli oculum.*

Quod denique (*p.* 672) *opinatur vir doctus: «probabile esse «aliquid elici posse e palimpsesto adhibita ope chymica, ut «fragmentis Licinianis factum est,» mihi quidem contra videtur, nam membranae Tullianae iam a Maio chymicis reagentibus illitae sunt, quod ne iterum fiat summopere cavendum censeo, nam nunc aliquid lectu superest, dum audio pagellas Licinianas per chymica obfuscatas esse. Quaecunque autem legere potuero, invenies infra in Collatione quam accuratissime typis mandata, qua in re Tulliani operis lectoribus me morem gessisse confido, mox hisce e Bibliotheca Vaticana laborum meorum primitiis nova subiuncturus.*

Scripsi Lugduni-Batavorum Kalendis Martiis
Anni MDCCCLX.

INSUNT.

M. Tullii Ciceronis de Re Publica Codex Palimpsestus Vaticanus.

Introductio. . . . . Pag. 1.

Scriptura Codicis. . . . . « 5.

Aetas Codicis. . . . . « 18.

Observationes ad scripturam quorundam locorum Ciceronis de Re Publica. . . . . « 31.

Collatio Codicis. . . . . « 52.

A. Persii Flacci Sat. I. 53—104 in Codice Palimpsesto Vaticano. . . . . « 127.

Varietas Lectionis. . . . . « 129.

D. Iunii Iuvenalis Sat. XIV. 323—331, XV. 1—43 in Codice Palimpsesto Vaticano. . . . . « 131.

Varietas Lectionis. . . . . « «

Scholia Inedita ad Sat. XIV. . . . . « 133.

« « « « XV. . . . . « 134.

Phaedri Fabulae Novae in Codice Urbinate-Vaticano « 137.

Varietas Lectionis. . . . . « 138.

Fragmentum Ineditum Artis Domni Bonifacii. . . « 140.

De C. Iulio Victore. . . . . « 142.

Emendationes. . . . . « 143.

Addenda ad Lectionis Varietatem. . . . . « 158.

Iulius Paris, Valerii Maximi Abbreviator. . . . Pag. 164.
Emendationes. . . . . « 167.
Lectionis Varietas. . . . . « 186.
Ianuarii Nepotiani Epitoma Valerii Maximi. . . « 201.
Emendationes. . . . . « 204.
Lectionis Varietas. . . . . « 211.
Epitome Artis Metricae ex libris VI Augustini de Musica. . . . . « 216.
Emendationes. . . . . « 217.
Lectionis Varietas. . . . . « 219.

M. TULLII CICERONIS

DE RE PUBLICA

CODEX PALIMPSESTUS VATICANUS.

INTRODUCTIO.

Nondum satisfactum est iusto eorum desiderio, qui novam atque accuratam illorum codicum investigationem optabilem esse censuerunt, ex quibus tot atque tanta nova atque inedita Angelus Maius protraxit; classicos volo eorumque fragmenta, quibus rem publicam litterarum ditavit fortunatus ille librorum manuscriptorum perscrutator, Tullianum de Re Publica opus dico, Scholiastem Bobiensem, Frontonis Epistolas, ceteros, quos haud illepide Dis minorum gentium nonnumquam audivi adnumeratos. Nihil enim in illis antiquae scripturae documentis leve neque spernendum, sic isti, et recte omnino, dummodo de codice perantiquo agatur aut de iis scriptis, quae Maii diligentia industriaque inedita esse desierint. Prae ceteris autem Inedita curas secundas requirunt, ut omnis dubitatio tollatur et de scriptura libri manuscripti constet iis praesertim in locis, in quibus emendandis viri docti desudaverunt. Nec spernenda incrementa libri Tulliani apparatus criticus, quem vocant, nactus est ex repetita Augustini codicis lectione, sub cuius Commentariis super Psalmos latebant Ciceronis de Re Publica libri, quam instituit idem ille Angelus Maius, cui contigerat eos in lucem revocare. Et vel sic tamen non contenti erant illi, quibus compertum erat quantas medelas Polybianis Excerptis Vaticanis at-

tulerit doctissimus Heysius[1], qui uberiore doctrina et maiore palaeographiae scientia instructus palimpsestum Vaticanum revolvens multa invenerit omissa, nec pauca perperam lecta restituerit. Igitur iam diu apparuit legitimum esse desiderium, de quo dicebam, sive diffidentiam mavis, cui occurrendum esse multi clamarunt, nemo ad hoc usque tempus subvenire potuit, nam per ipsum illum primum editorem non licebat.

Maium de litteris optime meritum esse omnes consentiunt, et iure immortalitatem, quamdiu haec nostra studia perdurabunt, illius nomini praedicant, quippe qui studiosior indefesso labore incitatus atque acutissima oculorum acie praeditus ad lucem protraxerit quaecunque inedita in Italicis Bibliothecis laterent. Nec ego quidquam de summa illius industriae laude detracturus sum, nam unus de paucis perspectum habeo, quibus difficultatibus longe gravioribus, quam vulgo creditur, premerentur illius labores; verum hoc unum, quod summo viro obiicit historia rerum hominumque severus iudex, non reticebo, etiamsi pudeat sanequam ambitionis invidiosae crimen illi dare, nec fecissem, nisi propter hanc ipsam causam incertiora fuissent, quaecunque viri docti laborarint in Maii operibus emendandis edendisque. Aditus enim ad codices, qui illius ipsius opera desierant Inedita continere, interdicebatur a fortunato Bibliothecae Praefecto, si in vasto Vaticano thesauro servantur, sin vero in aliis Museis reconditi latebant, haud ita feliciore eventu inquirere poterant studiosi deficiente bibliothecae indicatione librorumve numero, quem de proposito, ut quorundam fert opinio, reticuerat, nam ubi codicum illi excidisset quaedam significatio, vulgo errorem irrepsisse frequenti experientia edoctus sum.

Et quid quaeso felicis tantarum rerum inventoris intererat copiam dare nolle iis, qui emendatiora adhuc edere etiam atque etiam cupiebant, quae ipse passim confitetur se nondum perfecta in lucem emisisse; nos enim omnes, qui iisdem litteris

1) Polybii Histor. Excerpta gnomica in palimps. Vatic. LXXIII. Ang. Maii curis resignato retractavit Theod. Heyse, 4°. Berl. 1846.

studemus, quasi communi quodam vinculo ad eas promovendas duci debemus, et ridiculus est istorum conatus, qui impediant, quominus alii sua repetant aut corrigant. Atque haud scio an vero litterarum amore arserit doctus ille Italus, qui tristi sanequam ambitione eo perductus fuit, ut viro pariter studiis docto ac moribus probo tum demum permiserit Augustini collationem instituere, cuius Commentationes super Psalmos laciniis Tullianis de Re Publica suprascriptae sunt, postquam iure iurando sibi illum obstrinxisset, ut Augustinum legeret varietatemque lectionis adnotaret, sed ne litteram quidem Ciceronis, qui nunc saltem non amplius latet, adspiceret; atque hoc factum est, postquam Maius curas secundas ad hunc Codicem adhibuerat, qua repetita lectione quaecunque cerni possint, iure suo ad emendatiorem editionem adhibere debuerat, opinor.

Quae quum ita sint, non mirum quod, Romae quum essem anno superiore, et cum doctis, qui ibi versantur, de meritis Angeli Maii agerem, unum ex illis in magnum philologum philosophorum illud audiverim retorquentem «mortem non esse malum.» Quod invidiae ne tribuatis, nam totus erat ille, ut isti solent, in celebrandis laudibus civis sui, qui re vera Bibliothecae Vaticanae fuit ornamento, quae dignum desiderat adhuc successorem. Verum hoc sibi volebat, non amplius impediri, quominus nostras quoque curas ad Maii Collectiones emendandas adhibeamus, quod ne sero fieret in libris palimpsestis verendum erat. In vulgus enim notum est membranas illas nonnihil esse corrosas chymicis istis, quae in atramentum olim ablutum erasumque ut bene agerent, iusto acerbiores fuisse dicuntur; attamen talis eorum est natura, ut chartae sint perniciosa, si ad lucem revocant scripturam ablutam. Est hoc eo magis dolendum, quod in multis foliis scriptura evanida facta sit atramento per totius membranae superficiem disperso, ut ita dicam, quae itaque chymicis peius afficiuntur. Nec facile huic vitio remedium invenietur, atqui quantocius huiuscemodi libri lectio conferatur. Sic enim Gaii codex post breve spatium totus est periturus, sic Vaticanus liber, qui Polybii atque Dionis

servavit Excerpta, iamiam in carbones abit; aut ob causam quam dixi charta cum universa scriptura obfuscata est, quod praeter exempla, quae ipse vidi, accidisse scio in Granii Liciniani fragmentis, et locum habuisse dicunt in quatuor istis fragmentis Tullianis scilicet de Fato, quae A. Ferruccius sibi visus est in lucem revocasse. Quod ne item unico Vaticano Codici de Re Publica accideret, antequam aliquis usus melioribus nostris temporibus librum accuratius contulisset, pro viribus cavere volui, et sic Bibliothecam Vaticanam quum frequentarem, codicibus nonnullis, qua tunc gaudebam insigni liberalitate, quam gratissimo animo profiteri non desino, pervolutis, ad Maii Collectiones animum appuli, arrogantiae crimine fortasse notandus, quod adolescentulus novissimum quodque attingere maluerim, classicorum ingentem collectionem antequam non solum pro dimidia parte legissem, sed ne intellexissem quidem. Sed sic solemus alacri magis studio quam iusta prudentia ducti, qua in re si erravero, iuvabit me non solum laborasse hoc vitio, sin contra, virorum doctorum studia Tulliana ex hoc meo qualicunque labore detrimentum saltem nullum capient.

Igitur publici iuris facturus quae nova aut emendatiora invenire licuit in Codicibus Vaticanis, e quibus Maius classica opera Latina primus protraxit, lubet initium facere a Libris de Re Publica, non tamen quod his in primis studia mea tanto profuerint, nam cetera quae Maius edidit, maiora incrementa nacta esse ex repetita lectione libens fateor, et suo loco apparebit, tum in hoc fasciculo, tum in altero, quem alia Codicum Bobiensium folia palimpsesta in aliis bibliothecis servata quum inspexero, editurus sum. Accedit huc quod in altera sua editione (Romae 1828) Maius melius hanc suam provinciam administraverit, nam viris doctis, certatim qui in edendo et emendando novissimum Tullianum opus, versati erant, et in coniiciendo desudaverant, quaerebat quod obiiceret iure suo auctoritati unici libri innisus; locos de quorum lectione illi dubium moverant, accuratius inspexit, et sic codicem melius excussit ut speciosas istas impugnaret coniecturas, cetera, quae in opti-

mam quamque editionem principem cadunt, et locum obtinent in codice palimpsesto, cuius scriptura iustam ob causam saepius fallax est atque incerta primo inspicienti. Quosnam fructus hi libri politici ex Maii secundis curis perceperint, vide sis, ordine laudatos apud Osannum in primaria sua editione Rei Publicae (Göttingen 1847), qua 20 omnes superiores obscuravit. Attamen in secunda illa, quam Maius notavit lectionis varietate acquiesci non potest, passim enim nimis vage, ut hoc utar, lib. II. § 2 ad verba *institutis* scripsit ille «postrema haec verba repetuntur, moxque expunguntur;» at latebat tria tantum verba esse repetita, nec vero expuncta. Sed non lubet discrimen decantare, quod secundam inter Romani editoris parciorem collationem intercedat et accuratissimam, quam mense martio anni 1858 ipse confeci; dedecet enim sua ipsius laudare, et habebit mea quo se commendet, si superiorem superaverit. Alia quaedam mihi sunt praemittenda, quae Maius et Osannus minus accurate administrasse videntur.

SCRIPTURA CODICIS.

Palimpsestus de Re Publica quibusnam fatis Romam deductus fuerit, videre est in Praefatione apud Maium, cui historiae subiunxit Codicis descriptionem universe vere et recte compositam, dummodo hoc unum exceperis, quod errore nescio quo Maius tibi auctor sit, librum illum Vaticanum Lat. N°. 5757 membranaceum esse in *folio;* at in *quarto* illi est forma, quam dicunt, ut omnibus Bobiensis bibliothecae codicibus, quorum membranae postea erasae atque ablutae, dissectae atque in diversas bibliothecas dispersae nunc tandem iussae sunt reddere quae pii scilicet librarii abstulerant, Verrinas Tullianas dico, Frontonem, Dionis Polybiique excerpta, Scholia Bobiensia, Iuvenalem, Persium; imo eadem forma quadrata iis foliis erat, ex quibus Fragmenta Vaticana, ut apud Iuris Consultos audiunt, Maius eruit, antequam erasa et abluta in arctiorem formam dissecta et mutilata fuerint.

Transit Maius pag. XLIV ad Augustini opus, de quo vere retulisse mihi videtur, nisi quod accuratius adhuc definienda fuerit scriptura, de qua non abs re erit meam qualemcunque sententiam proferre, si quidem nonnihil faciat ad historiam litterariam et ad argumenta pertineat, quibus alii rescripti codices se prodant. Eo lubentius hunc locum attingo, quod Maius in politicae scripturae specimine Augustini quoque frustulum excusserit, quo, inquit, cognoscant eruditi ante saeculum decimum Commentarium illud esse exaratum. Imo saeculo nono ineunte, nisi vetustior fuit, nam pertinet ad tempus, quo transitus fiebat ex scriptura semiunciali, quam vocant, vide: B, R, ϖ, N ad minuscularum formam, qua sunt: a, e, ∂, h, p, q, dum medium inter utrumque genus locum sibi postulant *g*, *f*, *l*, quae saeculo nono vergente qua forma scriptae fuerint, satis notum est. Denique Augustinus Codice Vaticano N°. 3836 paulo recentior esse videtur, cuius Scripturae Sacrae vide specimen apud Silvestrem tab. 235, qui octavo saeculo recte illum tribuit; conspirant autem multae litterae in hunc modum cum scriptura, quae septimum octavumve sibi vindicat, contra nonum decimumve multo plures habet minusculas aliasque forma ita diversas, ut Augustinum nisi posueris in Tullianum locum iam subintrasse saeculo octavo, Bobiensem tibi sumas monachum necesse est saeculo nono ineunte aetate provectiorem quam ceteri isti quos tunc aut paullo post Codices suos rescripsisse facile crediderim. Conferatur autem saeculi octavi Gregorius Turensis Paris. in bibl. N. D. 132 bis, Silvestre tab. 41, Livius Paris. N°. 5730, Silv. tab. 89, S. Prosperi Epigrammata Paris. Suppl. Lat. N°. 669, Silv. tab. 51; nec possum quin magnam observem similitudinem in quibusdam litteris cum scriptura antiquiore Augustini libri papyracei Genevensis Silv. tab. 270 et nostro codice. Verum rem diiudicent peritiores palaeographiae studiosi, quos semel atque iterum iuvat ablegare ad insigne illud opus, cuius elegantissimus regius ille scribendi magister nobis auctor exstitit, Silvestrem dico, qui a doctis civibus suis adiutus, viginti anni sunt circiter, de industria in Universi Orbis terrarum Palaeogra-

phia versatus omnium nationum et scripturarum genera speciesque conquisivit, quarum lapidi incisa nec non, ubi opus esset, colorata publici iuris fecit specimina, singulis satis erudita praemissa commentatione [1]; quae tabulae satis accurate incisae et diligentissime elaboratae codicum instar iis sint, quibus libros illos manuscriptos inspicere nec terere copia est.

Tullianum opus in his membranis primo exaratum fuit «spatiosis litteris eum in modum, ut singulae paginae binis laterculis constent, quae rursus singula quindecim versus complectantur, in singulis vero versibus litterae circiter decem legantur.» Ultimum illud haud ita urgendum est, nam littera *m* modo duarum litterarum spatium sibi postulat, modo in fine versus non scripta significatur per lineolam, quae passim itidem medio in versu occurrit, nonnumquam etiamsi rarius pro littera *n* posita. Tum litterarum mensura adeo varia est, ut quod septem earum sine siglis requirant spatium, in eadem pagina mox duodecim rite scriptae compleant. Adde quod litterae, prout librario placuerit aut res postularit, in fine versuum aliquantisper minuantur, ut recte monuit Maius, pag. LX, aut in monogramma coeant, cuius rei haec occurrunt exempla: *ae*, *ds*, *nc*, *ns*, *nt*, *or*, *re*, *ua*, *ui*, *ul*, *um*, *un*, *unc*, *ur*, *us*, *ut*. Porro terminatio *bus* et coniunctio *que* prima tantum littera adiecto puncto indicantur, quemadmodum pronomen *quae* per q̄, tum in medio versu tum in fine, quae singula unius tantum litterae spatium sibi vindicant. Deinde vulgari modo *consules*, *populus Romanus*, *tribunus plebis*, ex initiali aut prioribus litteris adscripto puncto intelligitur, ut in verbo *res publica* littera P. sufficit ad omnes casus excepto genitivo plurali indicandos. Denique haud ita constans versibus est mensura, praeterea quod passim ubi nova erat inchoanda sententia, librarius superioris versus

1) Paléographie universelle ou Collection de Fac-Similé d'écritures de tous les peuples et de tous les temps, tirés des plus authentiques documents des bibliothèques de France, d'Italie, d'Allemagne, d'Angleterre par M. Silvestre, accompagnés d'explications descriptives par Champollion Figeac et Aimé Champollion fils. Paris. Didot.

spatio nondum completo extra lineam sequentis uncialem litteram scripserit paulo maiorem, quales constanter depinxit priori columnae initiales vel medio vocabulo, quod raro in altero latere culo obtinet locum. Horum itaque omnium habeat rationem is, qui in paginarum laciniis supplendis desudet, et coniiciendo ad eum litterarum numerum pervenire laboret, quem auctore Maio in codice desiderari sibi fingat.

Qui autem Maii supplementa in locis obfuscatis dubitanter admodum accipiunt, bene perspectum habeant velim, idem vestigium quod leviuscule passim cernitur, ad C, E et G ducere, aut litterarum A et X saepe idem restare indicium, ut Maius ad III, § 44 recte observat, aut litteram ϑ et o eodem ductu intelligi posse, nec B ab R ubique distingui, atque eadem lineola I et Y indicari, quemadmodum LI aut TI aut u paulo evanidae vix dignoscantur; sic recte omnino Moserus I, § 31 *aliquid novi moventibus* emendavit in *molientibus*, contra fallitur Osannus p. 19, codicis a Maio exhibitum specimen intuens pro L facile E scribi vel legi potuisse contendens, meliora evincat versus 4 pag. 61 aut versus 1 pag. 51, nam idem discrimen bene cernitur, quod in recta et longiore: l et rotunda: e exstat, quas in nostris libris adhibemus, contra proclivior error est in maiuscularum scriptura, cuius perspicuum exemplum descripsi ex Lucano Palatino in Bibl. Vat. N°. 24, quod propter speciminis paucitatem videre non est in tabula, quam Niebuhrius dedit in: Ciceronis Orat. pro Fonteio et Rabirio aliorumque fragmentis; in ceteris vero litterae: l longior forma lectorem ab errore retinet, quod in rusticis quoque, quas dicunt litteras, usus voluit, vide libri II titulum apud Maium, excepto fortasse Sallustio Vaticano, ubi contra L latior est.

Praenomina partim siglis scribuntur partim explicata, ut recte monet Maius pag. 1, et ut videbis in omnibus fere editionibus, nam hac in re librarius nimis sequaces habuit editores; sed sic fieri assolet, qui in librariorum et interpolatorum inconstantiam declamitant, eodem vitio inviti opinor afficiuntur. Atqui istis maculis liberandae sunt editiones, nam non habes, quo

istorum hominum defendas morosam inconstantiam tum in his, tum in aliis, vocabula volo male dissecta aut miserum in modum duobus versibus distributa, qua in re prorsus eadem offendit negligentia, quam nolite fallacem ducem sequi, ut a quibusdam factum esse scio. Praestat cum palimpsesti nostri correctore emendare absurda ista atque ad certam normam recudere; penes editores enim est sana ratione ductos manuscriptorum tum vocabula tum sententias distinguere. Hoc ultimum de politico quoque codice dictum accipias, nam hac in re qua est socordia, librarius negligentius egit, ut Maius monuit pag. LX: «pausas haud raro apparere, nempe punctum quoddam recurvum iuxta litterae summitatem, quod tamen in Frontonis codice multo accuratius frequentiusque fit.» Atqui iniuria queritur Osannus pag. XVI, de pausis punctisve nil Maium adnotasse; sin forte desiderabat omnium punctorum in Varietate lectionis notationem, nimium optabat ille, nam persuasum mihi est nos omnino nihil ex istarum farragine lucrari posse, librarius tam male sedulus erat hoc nomine, ut grato animo Maii adspiciam editionem, qua omne codicis punctum sustulit; denique spernenda sunt ista, dummodo probe teneamus nostrum esse ius sententias distinguere atque dissecare, id est summopere diffidere possumus punctis in editionibus, quibus meliora substituere debemus, modo re vera restituatur auctoris manus. Exaratus est autem codex scriptura adeo continua, ut vel vocabula uno tenore exarata, non discreta appareant; sed haud scio an recte Maius hocce proprium quoddam palimpsestorum posuerit, siquidem hac in re non est cur eos a ceteris codicibus eiusdem aetatis distinguamus, qui favente fortuna rescripti non sunt. Constat autem Virgilium Vaticanum N°. 3867, Silv. tab. 60, saeculo quarto rusticis maiusculis esse exaratum, qui ut Virgilius Mediceus me saltem iudice ex eodem aevo ita est scriptus, ut singula vocabula punctis secernantur.

Punctorum mentione facta sequitur ut de aliis quibusdam dicam, quae litterae: u suprascripta nil faciunt ad eam discernendam a consonante eiusdem formae, nam nulla excogitari potest regula aut certa ratio. Nec perspicio cur littera: A nonnumquam

puncto ornata sit, quae sine ullo Tulliani operis detrimento spernenda esse contendo.

Sunt quibus alia ratio placet, et ne levissimam lineolam apicemve negligendum clamant, quippe quae ad genuinam auctoris manum saepius perduxerint. Nec obloquor, at cum grano salis quum omnis collatio instituenda est, tum praesertim huius de quo agimus unici depositoris librorum de Re Publica. Attamen sunt multa, quibus apparatus criticus carere potest atque debet, inter quae tum puncta, de quibus dicebam, refero, tum ingentem lineolarum apicumque numerum, quarum rationem sedulo sic habui, ut eas de proposito nullibi adscripserim. Sunt nempe maculae nil aliud, ista omnia puncta sive lineolas mavis, passim litterarum speciem prae se ferentes aut emendationis vestigium redarguentes, sed nil quidquam commune habent cum texto Tulliano neque cum Augustino; communem originem ex eo traxerunt, quod librarius qui Commentationes super Psalmos describeret, iusto citius folia verteret atramento ultimae paginae imo vel praecedentis nondum rite siccato; atqui cavendum est, ne ubi istae maculae occurrunt inter lineas Tullianas, pro una alterave secundae manus littera correcta habeatur, nam Commentationum mensura conspirat cum correctoris scriptura. Tum ex eadem causa magnus istarum accessit numerus, quas crassiores et longiores prima manus sibi vindicaret; sed nolite librario aliena obtrudere, nam chymica in quodvis olim atramento coopertum fuerit, reagentia in lucem revocarunt bene multas maculas, quas folia Tulliana sibi invicem communicaverant, quum ad Augustini Commentarium conscribendum deligata atque aqua mersa necdum abluta humectato atramento Tulliano componerentur incerto quodam ordine, nam non respondent maculae, quas nunc volo, vetusto ordini nec vero praesenti. Cuius rei causam quum nondum perspectam haberem, vana spes tertiae cuiusdam scripturae me tenuit, sed mox meliora edoctus omnia ista, quae certo quodam discrimine dignoscantur, secernenda esse duxi a Tullianae lectionis Varietate. Maius quibusdam locis sibi imponi passus est istis maculis, ut infra ostendam.

Sed aliud est de omnibus iis, quae manui secundae debemus, diligenter enim rationem habui punctorum, quae corrector iis litteris adscripsit, quas expungeret, ut verbo utar inde nato, quia codicem insigni labore et vera elegantia descriptum crassa Minerva emendare quum dedeceret, puncto notaret litteram aut vocem, qua esset peccatum. «Si verba, sic Maius pag. LX, addenda sunt, ea supra versum, rarius in margine adscribuntur, sin detrahenda, ea punctis saepe superne raro inferne notantur.» Hic fallitur etiamsi oculis acutissimus editor, nam constans mos emendatoris, ut puncto litteras, quae delendae viderentur, notaret superne addito, nullam fert exceptionem, id est, puncto inferne scripto nulla littera in hoc codice detrahenda est. Contra sunt multae litterae re vera delendae, sub quibus cernitur aliquid; est nempe duplex delendi ratio, unde de duplice correctione atque de duobus emendatoribus sitne cogitandum, dubius haereo, imo ipsius emendatoris subtilis diligentia impedit, quominus res diiudicetur. In libro secundo tertioque sedecim locis[1]) pro solemni puncto litteras hoc signo: ' superne esse notatas nolo; quid levissimo hoc discrimine subsit, non perspicio, imo ne coniiciendo reperiri poterit, opinor; aliud est, secunda enim delendi methodus, qua nemo non utitur, ut litteras vitiose scriptas lineola obliqua notet in hunc modum: ϕ passim in hoc codice occurrit, et saepius coniunctim cum altera. Attamen antiquus emendator propter eximiam scripturae pulchritudinem, opinor, tenuissimas tantum trans istas litteras duxit lineolas, quas facillime aqua abstulit, et propter atramenti paucitatem in eas vix agere potuerunt chymica; hinc factum, ut bona pars earum litterarum, quas secunda manus summo iure delendas censuerit, renascerentur absque lineola, quae etiamsi tenuissima abesse non deberet; et vulgo nonnisi maiore oculorum inten-

1) II § 4 *ut*, 6 *ne*, 11 Esqui*ill*inum, 28 att*ing*isse, 36 *gloria*, 43 *ut*, i*s*, 44 domina*to*, 47 qu*am*, 48 cogitar*e*, 50 interpr*ae*tati, *d*vis, inpert*it*, 55 reliqua*m*, 67 effecit, III § 3 volu*m*tatum, te*r*nerentur, 23 iustitiae.

tione ceterarum linearum vestigia tantum cernere licet. Hinc factum est, ut fere omnes isti ductus vel probatissimum palimpsesti lectorem fugerint, qui ultimam levissimae lineolae partem pro puncto accepit. Quod quum vidissem, operae pretium esse duxi, de quibus litteris constaret lineola delendas censuisse correctorem, eas omnes in meam Collationem referre, addito d.(elendi) indicio. Ob causam quam dixi, passim plures litteras lineola notatas fuisse quam vel e vestigiis nunc eruere licet, non est quod moneam, sic, ut hoc unum exemplum afferam, I § 44 vocabuli *ille* ultimae litterae suprascripta est *i*, quae de more in istius locum succedat, non vero si vel nullum lineolae appareret indicium, ut utraque legatur, sicut Osannus p. 94, iniuria opinatur, hoc saltem loco genuinam scilicet scribendi formam a secunda manu servatam ardenter arripiens; at priscam istam formam corrector simul cum librario ignorabat; quod ne propter novam Osanni, cui non assentiar, orthographiam dixisse videar, libens fateor me in exemplo meo lineolam qua corrector delendam censuerat litteram *e*, adscripsisse diu antequam Osanni inspexissem editionem.

Sunt, quibus istarum rerum significatio otiosa atque futilior esse videatur, quae sine studiorum Tullianorum detrimento negligi possint. Facile credo, verum persuasum mihi est absque istarum notitia iudicium ferri non posse de emendatoris auctoritate, cuius qui exstiterint obtrectatores mea Collatione meliora docebuntur. Accuratius correxit et longe plura, quam vulgo credebatur, nam latebat omnino ad hunc usque diem quid praestiterit; et ex certa analogia facile confici potest quasnam litteras, quibus alias iam substituisset, delendas esse censuerit, id est, lineola notaverit, quae fugax certam ob causam a sedulo editore nullo negotio plerumque adiicietur, qui sic perficiat quod corrector aggressus erat non tantum, ut multi credebant, sed rite ad finem perduxerat; accedit, quod sub ipsis Augustini litteris lateant adhuc emendationes pauciores, nam propter minorem secundae manus scripturam non ubique se produnt,

quum eas abscondant Commentarii litterarum ductus: vide ad I § 6; denique non poenitebit paucis quibusdam maculis illum liberasse, quas infra notabo.

Pertinet ad hunc locum quaestio, sitne codex noster ex coniectura an ad exemplar emendatus. Equidem ex certa analogia vitia, quae contra orthographiam commiserat librarius, emendata crediderim, correctorisque tribuo doctrinae, quae restituit ille in vocabulis male dissectis, contra Collatio vel semel inspecta docebit opinor, quae omissa erant vocabula non ex ingenio esse suppleta; sed quando munere suo functa sit secunda manus dicere non habemus.

Non fugit me quaestionem de prima secundaque manu esse intricatiorem; in fere omnibus libris manuscriptis atramenti color incertum est, quo corrector se prodat, indicium, et prae ceteris in codice palimpsesto actum est de levissima ista differentia per ipsius libri naturam; alterum quod plerumque affertur scripturae discrimen, in codice recentiore aevo correcto aliquid facit, in scriptura unciali levius est, nec litterarum mensura rem conficit; accedit, quod omnino confici nequeat, sitne a prima manu correctus liber noster, quod vix crediderim, an vero a correctore statim postquam exaratus esset; hinc equidem urgendum non esse contendo, quod Maius passim monet *mox* correctum esse hoc vel illud, aut *statim* emendatum, expunctum, cetera; at editores nonnumquam ad verbum ista acceperunt, quod si vel Maius sibi voluisset, rectene dictum sit, numquam conficias. Facile adducor ut quas litteras erasas viderim primae manus habeatur emendatio; sed ubi librarius statim perspectum errorem digito humectato evanidum fecerit atramentum, quod sibi invito exciderat, quid quaeso pronunties, quoniam nunc omnia eadem lege renata sunt. Denique tantis difficultatibus premitur haecce quaestio, ut ubicunque aliquid correctum appareat, hoc secundae manui tribuerim in Collatione mea. Argumenta diplomatica, quae audiunt, quibus aliquid superstruas, codex me quidem iudice non affert; videant acutiores, possitne aliquid confici ex integra mea correctionis notitia, in quam pace

mea inquirant. Res est haud ita levis, nam differentia primam manum inter et emendatam lectionem digna est doctorum virorum studio. His prae ceteris commendatos velim illos locos, qui a diversis aut diverso tempore correcti esse videantur, quos ad I § 10 attingam. Necnon I § 31, ubi *hoctilio* et *hoc* facta sunt *hostilio* et *hos;* et II § 54 *lex anxit*, cui *s* adscripta est, facit enim ad pronuntiationem, de qua dicam ad II § 7. Aliis ut morem gererem, facile longa correctionum series hic subiungi posset, sed opus non est, Collatio pro emendatore dicat. Nec iuvat paucissimos eos locos adscribere, qui in peius versi sunt; sufficiat laudare I § 3, 5, 9, 18, 48, II § 4, ubi recte terminationem verbi 3 pers. plur. reposuit pro singulari, aut I § 15, 38, 67, II § 7 bis, 14, 62, 69, quos contrario vitio liberavit, quibus admodum verosimiliter I § 16, II § 54 adiiciendi. Denique inspici possunt I § 10, 19, 33 bis, 38, 53, 64, 67 bis, II § 14, 40, 52, 61, 67, III § 23, ubi fere semper recte emendavit modum aut tempus verbi, praeter eos locos ubi primus librarius permixtis *b* et *v* perfectum pro futuro aut contra dederat.

Locum de prima secundave manu nondum missum facere licet, priusquam de alia monuerim quaestione, quae arcte cum illo cohaeret, orthographiam volo, quam invitus attingo, nam istius rei vel doctissimi cuiusque imperfecta est scientia atque manebit, opinor; hoc dico vel Osannus quantum in genuina orthographia restituenda profecerit, ante oculos habens. Equidem Ciceronis[1]) eadem in re iudicium atque exemplum nobis sequendum praefero, qui quum frustra aliquid in adspiratione restitueret et civibus derisui esset, mutavit consilium scientiam sibi reservans usum populo concedens. Atqui si agitur de *h* in pristinum locum reducenda, vel in Cicerone ratio habenda esset temporis quo mutaverit illam consuetudinem; quid Caesar, quem constat *i* pro *u* scribendi usum introduxisse; denique orthographia incerta fuit Ciceronis tempore et numquam non a

1) Orat. 48 § 160.

Romulo inde usque ad Constantinum opinor mutavit paullatim. Quod quum ita sit, iam si unicuique suum tribuere velis, Latinorum unusquisque classicus suam privatam fere dixerim postulat orthographiam, quam vereor ut quisquam reddere poterit. Viros doctos enim simul cum grammaticis sibi invicem obloquentes videmus, nec certandi finis umquam erit; de hoc constare videtur uni, de quo alter non liquere clamat[1]), aut quod in dubium vocare iam desinit progrediente labore, ita ut in fine libri formas in *itius* sic scribat[2]), quas sedulo in initio per *c* dederat, aut *paenitere* per *ae* scribi sinit, etiamsi vitiosa forma sibi esse videatur[3]); sic *et*, *sed*, *haud*, *illud*, cetera non curat sintne per *d* aut *t* in libris manuscriptis obvia, quae alter notanda et ex certa analogia editoribus recipienda clamat; sic Osannus[4]) res minutas dicit, quod in voc. *appellare* primo *t* tum *p* corrigeretur; at ubinam fines tibi ponas minutorum atque eorum, ad quae attendendum sit? Sic auctoritatem codicis spernit[5]), ad quam modo provocaverat in quaestione simillima, ubi suam confirmaret opinionem, cetera. Si iam viri docti sibi placeant in genuinis rescribendis, cavere vix poterunt quin, si ipsi auctores reviviscerent, frustra sua ipsorum opera relegerent, ut Osannus[6]) Alschefskio obiecit, verum idem in vitium non dedisse illum subdubito. Nam quo quaeso stabili fundamento superstruunt suam scientiam? Inscriptiones invocant; at nondum constat de genuina apud Gruterum scriptura, ne de suspectis dicam, tum in istis temporis, loci, imo nationis nonnumquam ratio habenda est, quae vel ipsa fallere potest. Aut grammaticorum implorant iudicia; at profers iudices haud ita consentientes, qui aequalium errores notabant, et satis pro imperio agebant cor-

---

1) Osann. pag. 20, 81, 95, 268.
2) Vide infra ad II § 7.
3) Osann. pag. 302.
4) Pag. 36.
5) Pag. 95.
6) Pag. 475.

ruptam codicum lectionem afferentes, ut vel pronuntiationem mittam, quae quantopere differat in uno eodemque populo, qui eadem lingua uti dicatur, vel hodierni Itali demonstrant. Denique ad antiquissimorum manuscriptorum probam scripturam se convertunt. Et sic redimus ad palimpsestum nostrum, cuius summa auctoritas ab illis adhibetur, ignaris opinor se nubem pro Iunone amplexos esse, nam qui liber secundo post Christum saeculo tribuitur, quadringentos annos recentior habendus est, ut mox demonstrare conabor. Fac tamen vel istam venerandam aetatem esse libro Vaticano, viri docti frustra in lectione laudanda et scriptura defendenda versati sunt, quippe quos lateret ad hunc usque diem quid re vera prima manus dederit, nam qua inconstantia hunc locum Maius administraverit, nunc demum apparebit. Quod quum perspexissem, diligentius adhuc omnes quotquot iste librarius commiserit errores, notare libuit, quo aequius de correctore iudicium feratur, et simul illis mos geratur, qui genuinam antiquiorem scripturam a prima manu passim servatam censeant, a secunda manu male sedulo ad grammaticorum pravam scientiam eam correctam esse clamantes. Non enim is sum, cui primae manus errores ad veram scripturam non ducere posse videantur, contra est, imo de industria inquisivi, quibusnam locis prima manus quum veram lectionem tum genuinam orthographiam servasset, nec vanus labor fuit, etiamsi nunc copia mihi facta non sit expromendi meam de illis opinionem. Non enim propositum mihi est ista dirimere, nec Osanno duce de singulis locis quaestionibusque agitatis pronuntiare; sufficiat Varietatem lectionis publici iuris facere, quam acutiores adhibeant. Eandem ob causam non lubet in loco de orthographia subsistere, nec in tabulas recipere quot et quibusnam locis primae manus scriptura correcta sit, quoties *xs* scripserit pro simplice *x*, quibus litteris sequentibus *d* aut *t* dederit in *et*, *sed*, *atque*, *atqui*, *apud*, *haud*, *ad*, *id*, *illud*, *aliud*, *quod*, *inquit;* vel in quibusnam compositis simplicem formam retinuerit praepositionum *ad* (*af*, *ap*, *as*), *cum* (*con*, *col*), *in* (*il*, *im*, *ir*), *sub* (*sup*); ubi *ll*, *mm*, *pp*,

ss, *tt* aut simplices istas dederit; quibusnam verbis *o* cum *u*, *i* cum *e*, *e* cum *u*, *ae* cum *e* miscuerit; nec qualis ei sit ratio in accusativo et nominativo plurali *is* pro *es* scribendi, aut *i* pro duplice contrahendi, aut elidendi brevem vocalem in fine, vel *u* in medio verbo; necnon *c* pro *qu*, *f* pro *ph* quoties usus sit, aut quibus in verbis adspirationis causa adscripserit *h*, *c* cum *t* mutaverit, aut *b* cum *u* miscuerit. Harum omnium rerum quas confeci tabulas mihi reservare libuit; apparuit enim vix aliquid lucri inde fieri; orthographiae studiosus quisque in suum usum eas componat, nec est cur istas lectorum oculis subiiciam, nisi hanc unam ob causam, quo facilius illis persuadeam hac quoque in re summam librarii aeque ac correctoris esse inconstantiam, unde facile deducas correctorem iure suo passim emendasse errores in orthographia, sed ita ut ex hoc unico codice regula certa nulla prodeat; adhibeatur contra cum aliis, nam communi auxilio aliquid proficiat necesse est Tulliani operis genuina scriptura.

Denique, ut in mea Collatione essent quaecunque ad codicis scripturam cognoscendam faciant, quod in palimpsesto nostro propter quaternionum membranarumque ordinem turbatum necessarium est, adscripsi omnium foliorum initium, quo simul alii errores se prodant; sic libro I § 37 *Non* | p. 223 *Hercule* equidem excidisse contendo duas illas litteras *me*, quas corrector adscripsit I § 31, nam eadem forma occurrit I § 14, 59; et vide omnino infra ad I § 52, atque ubi repetita expunxit emendator, inspice: I § 25, 28, 66, II § 2, 5, 27, 58, necnon, ubi quod exciderat supplevit corrector: II § 28, 58, 61, denique ubi emendavit errorem, II § 37; hac in re Maius in prima editione diligentius egit, in altera paucos errores commisit, quos notare non vacat. Scio esse quosdam, quibus ne mea quidem lectionis varietas sufficere videatur, desiderant isti eam collationem, quae codicis quasi imago sit, et non solum foliorum notationem postulant, verum laterculorum imo versuum indicia sibi requirunt. At his vetus illud μηδὲν ἄγαν obiecisse sufficiat.

AETAS CODICIS.

Transeo ad alterum locum paulo graviorem, aetatem dico Codicis Tulliani, in qua definienda viri docti nondum verum assecuti sunt. Ordine de hac re Maius iudicaturus sic incipit pag. LXII: »aliter coniectura facienda est e litteris titulorum vel subscriptionum vel etiam brevium elogiorum, aliter ex ipsius contextus scriptura. Namque in illis quadratam maximamque scripturam plurimi vulgo libri ab ultima fere antiquitate usque ad hodiernum diem prae se ferre solent, honoris vel ornatus gratia hae litterae magna forma fiunt, qui mos in membranis retentus.» Silvestris tabulae accurate inspectae meliora docent; affert quidem Maius ad suam firmandam opinionem plura exempla, sed in recentioribus post nonum saeculum res ita se habet, hic vero de antiquioribus pronuntiandum est, quibus Vaticanus palimpsestus adnumeratur. Duplex autem horum ratio est; quo enim tempore ea scribebatur litterarum forma, quam in inscriptionibus cernimus, maiusculas illas dicimus, non erat cur altera ornatiore scriptura tituli exararentur, quae nondum exsistebat; sic constat eadem omnino litterarum forma titulos ac contextum esse scriptum Terentii Vaticani N°. 3226 ex saeculo quarto, cuius scriptura ad rusticum quod dicunt genus transitum facit; idem valet in Virgilio Vaticano N°. 3867, Silv. tab. 60, in qua personae eadem qua contextus forma minio exaratae sunt; nec aliter res se habet, nisi fallit memoria, in Gellianis fragmentis palimpsesti codicis Palatini in bibl. Vat. N°. 24; eadem ratio fuit contendo in Sallustio Vaticano, necnon in reliquis codicibus, quorum titulo deficiente res confici nequit. Nova contra invaluit ratio, ex quo paulatim a prisca forma ornatiore aberrari coeptum est, et scriptura quam uncialem vel semiuncialem dicunt, in usum venit, quippe quae litterae mediae inter maiusculas atque minusculas longius recedentes a rusticis illis ad textum conscribendum adhiberentur, dum alterae ornatiores titulis lemmatisve inservirent, sive maiore forma ut in

nostro codice libri II titulus in tabula excusus cernitur, sive eadem mensura qua textus exaratur, ut Frontonis codicis afferam exemplum in editione Maii. Sed ne haec quidem methodus constans est, si quidem Livii, qui in bibliotheca Vindobonensi N°. 15, Silv. tab. 136, asservatur, tituli iisdem semiuncialibus litteris quibus textus scriptus fuerit saeculo sexto exeunte.

Ad propositum cum Maio redeamus, qui pag. LXIII verissime observat «scripturam magnam, pulchram, quadratam et Romana quodammodo maiestate praeditam post sextum aut certe septimum saeculum vix comparere exceptis titulis aut elogiis necnon aliquo longe rarissimi luxus codice;» cuius rei studiosi inspiciant Silv. tab. 39, Evangeliarium Ludovici I Franco-Galliae regis, bibl. Par. Reg. Suppl. Lat. N°. 686, aut Successoris illius Caroli Calvi Orationum librum, ibid. N°. 1152, tab. 59. Tum sic pergit, pag. LXV: «inter codices a me observatos, Vaticanus de Re Publica perfectione quidem litterarum nonnullis cedit, magnitudine tamen et splendore prope princeps est. Ergo omnibus consideratis, quamquam res controversa est, paulo aegrius mihi persuaserim, tam splendidum tamque luxuriosum codicem post Romani imperii excidium barbaris in Italia regnantibus fuisse scriptum et non potius extremis saltem Caesaribus rem Romanam adhuc tenentibus. Haec aio coniectans et ipse meae doctrinae diffidens,» tum in palaeographiae studiosos declamitat, hunc et illum codicem ad quartum quintumve saeculum pertinere perhibentes, nam nulla iis est arx, argumenta in quam tute conscendant, quid enim, inquit, plerumque obstat, quominus tertii aut secundi saeculi haec scripta dicamus?

At fluctuant ista, ut recte illi obiecit Osannus, cui nihil omnino dixisse videtur, ne uno quidem probabili argumento allato, imo patet ex ultimis Maium sententiae suae diffisum esse. Contra istius iudicii Silvestre cum Aimé Champollion Filio talis exstitit subscriptor, ut Maium ne dubitasse quidem affirmarit, quin hic codex scriptus fuerit secundo tertiove saeculo nostrae aerae; et sic in verba vel probati magistri quum iurasset, ridiculus error natus est, ut historiam palaeographicam ubi ex

ordine persecutus a secundo usque ad nonum saeculum (scripturam uncialem et maiusculas tantum volo), de industria illam egregiis adiectis tabulis illustravit, primum scilicet locum Vaticano nostro Codici assignaverit in magna speciminum uncialium collectione. Quod si in multis ferendum vix esset, Gallico isti scribendi magistro ignosci nequit, quippe cui ad manum essent scripturae diversae longe plures, quarum naturam et proprietates omnino non ignorabat. Nec erat cur sibi imponi pateretur vel ab Angelo Maio, qui ad litterarum formam non satis attendebat, qua in re tota versatur quaestio, iam in mensura earum subsistens, quae adeo fluctuat, ut ad aetatem definiendam nil quidquam eam facere doceat quinti saeculi Virgilius Vaticanus N°. 3867, Silv. tab. 60, necnon Gellius Palatinus N°. 24, quorum litterae unius unciae magnitudinem superantes tamen eiusdem saeculi sunt ac Sallustii Vaticani scriptura dimidio minor, qua rursus dimidio minor est Terentius Vaticanus N°. 3226, qui superat adhuc Liviana fragmenta palimpsesta Palat. N°. 24, quae vide apud Niebuhrium in tabula.

Osannus aliquid fecit, codicem nostrum Tullianum loco movens, in quem male pedem intulerat, sed nondum acquiescendum est in quarto saeculo. Non enim ille me habet assentientem, ubi scribit pag. XIV: «externam codicis formam qui respiciat, in re incerta et ancipite versatur, contra ratio perquirentis librarii disciplinam atque eruditionem multo certior est et firmior, quae tota pendet a saeculi quo scripsit consuetudine et ingenio.» At longe aliter res se habet, nam natura codicis, scripturae genus, litterarum forma, titulos dico atque initiales, etiamsi singula rem non perficiant, universa nos ad optatum finem perducunt, collatis aliis manuscriptis, de quorum aetate aliquid saltem constat. De hoc probabili palaeographiae fundamento si dubitaremus, iam actum esset de illa disciplina, ut videre est apud Silvestrem; sed bonum factum quod quum in ceteris, tum in nostro libro alia est ratio.

Orthographia contra Osanno firmior et certior dux esse videtur, sed nolite hoc urgere; librariorum ingenia quaenam sint

neque Osannus neque quisquam in libris manuscriptis aliquantisper versatus, hercle mihi erit docendus; consentiunt omnes in istius nationis stupiditate et quod peius est inconstantia, unde quantas turbas in loco de orthographia excitarint, optimus quisque codex demonstret, et Tulliani operis collatio nunc demum integra spero fore ut evincat. Accedit, quod Osannus suae opinioni indulsisse videtur, scribens orthographiam totam a saeculi consuetudine pendere, dirimere enim non poteris quaenam saeculo tribuenda sint, quaenam sedulo describens exemplum imitatus suum librarius antiquioris usus servaverit vestigia; utriusque rei argumenta sibi videtur invenisse Osannus in eodem nostro codice, et in nullo non inveniet, opinor. «At Maius, sic pergit ille, qui solam palaeographiam respexit, exemplo suo ostendit quam parum, qui hac una via incedat, proficere queat.» Verissimum hoc, sed constitit Maius in magnitudine litterarum earumque pulchritudine laudanda, non investigavit formam nec cetera indicia, quae sponte se offerunt. Accuratius ad scripturae genus attendit Osannus, quo certo duce iam eo pervenit et recte omnino, ut Sallustio Vaticano et Mediceo Virgilio nostrum codicem recentiorem esse posuerit, praesertim propter litterae D formam angularem, cui rotundior novitia est in Tulliano libro, etiam magis curvata in Digestis Pisanis. Tum subsistit in loco de compendiis et in altero illo de interpunctione, utroque admodum lubrico, quae indubia temporum discrimina aetatum notas non prodant. His itaque non contentus codici locum assignare ea quoque de causa dubitat, quod nemo nobis praestet, antiquam scribendi rationem librarium aliqua de causa non esse imitatum. At locum obtinet ille mos in Scriptura Sacra praesertim aut in Sanctis Patribus describendis in certae cuiusdam ecclesiae aut principis usum, necnon in iis codicibus, qui picturis ornati maiorem curam et peritiorem librarium sibi postulantes ad perfectam antiquioris scripturae imaginem conficiebantur, ut codices de re medica, herbarios dico, alios quibus equidem subiungo ex Bibliotheca Lugd. Bat. Vossianum illum in q° 79, qui Aratea continet; sed non cadit hoc in nostrum

codicem, denique vulgo apparet imitatio ex uno alterove indicio, in charta v. c. purpurea litterae auratae vel argenteae, maiuscularum in titulis forma admodum quadrata, cet.

Tum ad certiores orthographiae notas progrediens tres tantum affert, pag. XVII, commutatas litteras *b* et *v*, *f* et *ph*, *sc* et *s*, atqui sic codicem nostrum ad saeculum quartum promovit; nam commutatio *b* et *v* a secundo demum saeculo Christiano coepta quarto vulgarem in usum recepta est. At ignorabat adhuc doctissimus editor, quaenam in libro nostro sit istarum commutatio, nam ad manum illi non erat series vocabulorum, in quibus *b* et *v* promiscue vel ex certa quadam regula occurrant, necdum ab altera manu correctae. Et quid quaeso conficias ex triginta illis locis, ubi contra usum vulgarem *b* et *v* permutaverit, nam donec nondum constet de tempore, quo hoc vel illud vocabulum aliter pronuntiari et scribi coeptum sit, atque maior in librarii usu apparuerit constantia, quo iure tribuas codicem quinto aut sexto saeculo aut septimo? Voluit, ni fallor Osannus frequentiorem fuisse commutationem quarto saeculo; at vix convenit hoc cum libro nostro, ubi per 300 folia in litteris admodum frequentibus 30 tantum istius rei occurrunt exempla. Idem valet in usu *f* et *ph*, nam etiamsi isto tempore grassata sit consuetudo litterae *f*, quid inde sequitur, quod *Philus* semper fere per *Ph* scriptum fuerit, in quo *h* corrector fere ubique delevit, quod quater *sfaera*, verum toties *sphaera* dederit, quod *Ifigenia* scripserit, contra *Philolaus*, *Phaleris*, *ephori*, *ephebi*, *physici*, *philosophi* bis, sed bis itidem per *f*? Denique usum litterae *s* pro *sc* ad certam aetatis normam referri posse Osannus ne perhibet quidem, imo labentis vel potius lapsae Latinitatis temporibus istam assignat consuetudinem.

Quod si recte demonstraverit ille, eo facilius evincam necesse est, codicem Vaticanum non quarto saeculo verum lapsae Latinitati id est quinto sextove esse tribuendum, qua in re Silvestrem ducem sequor, qui etiamsi in hoc palimpsesto definiendo mire lapsus fuerit, in ceteris haud spernendum magistrum se praestitit, et sic iam paucis defungar, nam sine codicum

speciminibus ingrata fit disputatio. Recte omnino scripturae Romanae historiam persequens exemplis demonstravit ille, quo modo paulatim ex pulcherrimis litteris maiusculis quadratis, quales in inscriptionibus cernuntur, labente Latinitate necnon humanitate natae sint rotundiores, unciales quas dicunt, quo nomine mensuram cave credas significari, nam formam respicit a quadrata recedentem atque curvatam magis, sive negligentius sive velocius res administraretur, tum semiunciales factae sunt, deinde admixtis quibusdam minusculis atque pedetentim introductis aliis, in novum illum campum librarii descenderunt omnium litterarum ea faciliore forma usi, quae a prisca ita recedit, ut nonnisi ex illa nata esse videatur, paucissimis quibusdam exceptis, quae originem trahant ex forma cursiva, quae dicitur, et antiquior est quam multi opinantur. Sequitur hinc ex minusculis, quae in scriptura unciali occurrant, certum quendam codici locum assignari posse, dico nempe de solis quadratis uncialibusque; sed alia accedunt. Praeter maiusculas quales ex inscriptionibus novimus, et vel hunc usque in diem in usu sunt, in primis saeculis post Christum in libris altera quaedam forma occurrit quae elegantior et ornatior etiamsi re vera sit, rustica dicitur, cuius generis est Gellius palimpsestus Palatinus N°. 24, Virgilius Vaticanus N°. 3867, Silv. tab. 60, Prudentius Parisinus N°. 8084, Silv. tab. 138, de Wailly [1]) tab. I. ex. 1. Natum est hoc ex prisca forma quadrata, qua ergo recentius est, quamvis equidem vix tempus distinxerim, quo invaluerit. Sic ut hoc utar exemplo ad rusticum illud genus iam fit transitus in Sallustio Vaticano Silv. tab. 42, necnon in Virgilio Vaticano N°. 3225, Silv. tab. 165, nec initia negari possunt inesse in Terentio Vaticano N°. 3226, Virgilio Mediceo, Livioque Palatino N°. 24; atque unicum illud sincerae scripturae quadratae exemplum, Virgilius Vaticanus N°. 3255, Silv. tab. 78, haud scio an imitatio sit, nam proprium

1) Natalis de Wailly, éléments de palaeographie pour servir à l'étude des Documents Inédits sur l'hist. de France. Paris 1838.

quoddam istis litteris inest praeter mensuram, tum initialis illa, quam vide apud Silvestrem, rubra et viridis elegantius depicta, Orosii Laurentiani initiales[1]) saeculi septimi mihi invito revocat in memoriam, nec ante sextum scripta esse videtur, sed in hanc quaestionem accuratius inquirendum est. Denique in his codicibus per tertium, quartum, quintumve saeculum distinguendis non vacat subsistere, est quaestio intricatior, et in textum recipiendae essent litterarum illae formae, ut rite disputatio procederet; atqui argumenta mihi reservans sufficiat meam qualemcunque protulisse sententiam. Virgilius Mediceus iure sibi principatum postulans saeculo quarto scriptus esse videtur. Mediceo Virgilio aliquantisper recentior est Vaticanus ille N°. 3225, Silv. tab. 165, quem Mabillon aliique quarto saeculo tribuunt, et recte antiquissimi libri imago haberi potest, ut docent picturae. Huic facile coaevum posuerim Sallustium Vaticanum venerandae antiquitatis propter G et L, nisi forte illum aetate superet; quod si recte fecero, idem feratur iudicium propter scripturae genus universe simile sed recentius de Lucano palimpsesto Palatino N°. 24, quocum tenuius etiamsi exaratus conspirat Terentius Vaticanus N°. 3226, vide: F, G, h sic fere: *k* pictam, L, cet.; quinto saeculo, ni fallor, descripti sunt hi libri; denique Livius Palatinus partim conspirat cum Terentio Vaticano, vide litterae: u hanc formam: v et litteram *g* non sine cauda, partim cum Virgilio Mediceo, vide longiores F et L, cui itaque saeculi quarti finis an sequentis initium proprium sit dubius ego quidem non pronuntio. Sequitur rusticum genus excultius in Prudentio Parisino, cui propter correctoris subscriptionem, consul qui fuit 527, initium saeculi sexti conceditur ab eo, qui bibliothecae catalogum conscripsit, attamen a Mabillon, quem sequitur de Wailly ad tab. II. 1, quarto saeculo hic liber tribuitur, nec persuasum mihi est ducentorum annorum discrimen intercedere inter huius libri et Virgilii Vaticani aetatem, ita ut nobis sumamus correctum esse codi-

1) Vide apud Mabillon in tab. VI huius codicis scripturam.

cem saeculo sexto sed diu ante exaratum. Quidquid est, huic aequalem posuerim Virgilium Vaticanum N°. 3867, a quo vix distare videtur Gellius palimpsestus Palatinus crassius aliquantisper descriptus; denique totum illud maiuscularum genus saeculo sexto antiquius fuit, ut recte huius rei periti iudices pronuntiant.

Attamen paulatim irrepserunt minusculae nonnullae, quarum forma atque numerus nobis indicant aetatem librarii; de semiuncialibus nunc dicendum est. Primo nempe pristinam formam retinebant B, C, F, N, O, P, R, S, X, Y, nisi quod F, P, et forma novitia litterae: q inferne protraherentur, verum A iam desinebat sic: A scribi absque lineola transversa, quippe quae simul cum priore lineola tenuior mox coniunctim in curvatam formam contracta, litterae *g* constanter cauda adhaerebat longa etiamsi tenuior, H in hanc formam: h transierat, L ceteras mensura superabat, Q in vulgarem: q abiit, V semper per: u significabatur; simul cum his maius discrimen observatur in D, quae sic: ∂ constanter exaratur, dum E itidem pro linea recta per curvatam scribitur ut c, in qua lineola tenuissima sed longior quam antea transversa apparet in hunc modum *e*; est eadem forma quam invenies in unico volumine Latino, quod ex Herculanensibus ruderibus servatum est atque editum, verum in his fragmentis lineola seiuncta adscribitur et brevior in hunc modum (-. Denique accedit certum discrimen in littera M, quae sic scribitur, ut utraque lineola exterior intrinsecus curvata rectae lineolae mediae adhaereat fere in hunc modum: *ɯ*. Sunt haec omnia certa et coniunctim occurrunt; iam quis quaeso negabit a praecedenti diversum scripturae genus dignosci non posse, quod ex velociore scribendi usu natum fuerit. Nec latebat librarios has litteras, quas cum Silvestre semiunciales dico, priore forma esse deteriores, rusticas contra magis composite exaratas: has ergo adhibebant ad titulum vel lemmata conscribenda honoris elegantiaeve causa, ut a textu differrent. Silvestre plura huius rei exempla laudat, cui ad genus hoc, de quo agimus, distinguendum inservit, et vel sic tamen non

vidit quod librum intuenti apparebit, ad hoc ipsum pertinere Codicem palimpsestum de Re Publica, cui locum si Musis placet, principem inter quadratas et maiuscularum scripturas assignat! Maius perspexit aliquid, quem non fugerat littera: u semel tantummodo sic: v scripta in toto codice; at hoc obtinet locum in rustico genere, nec mirum, nam libri II titulus in quo occurrit exceptio, sic exaratus est, ut distingueretur ab unciali, quae solam: u agnoscit. Convenit autem hoc et cetera quae dicebam indicia singula in Tulliano codice obvia cum genere illo, quod saeculo sexto, septimo atque octavo in usu fuisse apparet. Iam Osanni coniectura de quarto saeculo certis palaeographicis argumentis cadat necesse est, et promoveatur nostri codicis aetas ad quintum sextumve, ut facile demonstrari potest.

Simplicissimum in modum per suasmet ipsas tabulas Silvestrem in viam reducere possem, ablegando lectorem ad 17 specimina illius atque Champollionis argumenta; sed lubet iam plura imo certiora afferre, quod praestat in re vaga, sicut palaeographia apud quosdam audit, nec iniuria. Habemus nempe quinque vel sex scripturae uncialis exempla, de quorum aetate constat; est Ex. 3 in tab. VIII apud Mabillon, Codex Regularum Corbeiensis N°. 630, exaratus inter 701 et 703, ut demonstrat Pontificis Maximi Iohannis VI notatio, atqui pertinet ad usum qualis ipso saeculi septimi fine vigebat, quam ergo aetatem Orosio Laurentiano lubens assigno, quod alias demonstrabo, publici iuris facturus egregii libri collationem meliorem, quam olim Havercampio submisit bibliothecae illius praefectus. Anno 625 scriptus est Augustini Bellovacensis in Epistolas Iohannis apud eundem Ex. 2. tab. laud., in quo apparent: a, b simul cum B, c, d cum altera rotundiore ∂, e, h, p, q cet.; cui fere aequale est S. Salabergae Laudunensis Psalterium anni 655, ibidem Ex. 1 tab. laud., in quo praeter alias cursivas, quarum specimen hic dari nequit, littera: m sic reperitur, aliae, quibus facile transitus fit ad Anglo-Saxonicam scripturam. Sequitur codex, in quo Fragm. Apolog. Gregorii Nazianz.

Series Roman. Pontif. a S. Petro ad Vigilium, et Concil. Parisiense de Castrod. episc., est S. Germ. N°. 936, olim Corb. N°. 26, ex quo de Wailly tab. III. 1—7, IV. 1 diversa scripturae specimina dedit; cuius de ordine foliorum eorumque aetate artificiosae disputationi si subscripseris, habebis exempla scripturae cursivae saeculi sexti media inter semiuncialem, unde sequitur utrumque genus in Gallia saltem simul fuisse in usu, quod nonnisi a lubitu monachorum penderet. Superat autem Tullianus liber aetatem foliorum tum sexto saeculo exeunte qui exarata sunt, tum eorum qui saeculo illo medio describerentur, atqui recedendum est adhuc. Ineunte saeculo sexto Hilarius Ecclesiae Vaticanae codex, cuius specimen vide apud Mabillon tab. VI. Ex. 7, scriptus exstabat, ut docet collationis testimonium; conspirat huius scriptura, quae item politico nostro libro recentior esse videtur, ad punctum cum Augustino papyraceo ex bibl. Genevensi, Silv. tab. 270, quod miror fugisse Champollionem. Simili modo Vaticanus noster palimpsestus habet, quocum conspirat; Psalterium nempe in usum episcopi, Ecclesiae S. Germanensi qui praefuit usque ad annum 576, nitidissime depictum, ut videre est apud Silv. tab. 183 et de Wailly tab. I. 1; scio admodum luxuriose hunc librum esse descriptum litteris argenteis, sed illarum forma, mensura, cetera probe conspirant cum Tulliano, paucis quibusdam exceptis, quae in psalterio antiquioris scripturae imitationem arguunt, ut B, F, G, aut ut melius dicam, ad rigidiorem formam sunt accommodatae quemadmodum ε, h, L, T, ita ut saeculum diversum his duobus libris assignare equidem vix ausus sum. Hoc dico ante oculos habens singularum litterarum specimina haud pauca, quae accuratissima ipse confeci praeferenda istis in tabula apud Maium; A, C, ∂, G, I, q, R, S, U, X et passim ω, N, vix distinguuntur in uno ab altero codice, contra B, F, P in Tulliano libro a superiore forma, rusticam dico, nondum declinant, denique ε, h, T diverso modo scriptae sunt.

His itaque certis argumentis tamquam arctioribus finibus circumscribitur spatium, quod aetati Codicis nostri respondeat;

vidimus supra quarto quintove saeculo maiusculas tantum in usu esse, sexto septimove semiunciales, habemus exemplum scripturae simillimae eiusdemque Romanae severitatis et magnitudinis saeculo sexto medio, iam medius locus assignandus erit Tulliano libro, id est quintum sextumve post Christum natum saeculum. Paucae enim tantum adhuc apparent minusculae, illisque talis est forma, ut non adeo discedant ab uncialibus; vide A cui nondum curvatus est prior ductus, volo F, P, Q, R, quarum caudae inferne vix extrahuntur, quemadmodum h et L ceteras non ita superant mensura, ut saeculo sequenti fit, dum B, P, R sic exaratae sunt, ut superior illarum ductus rotundus rectae lineae ita inhaereat, ut videre est in rusticis. Denique propius ad antiquam scripturam accedit quam cetera exempla semiuncialia, verum propter S. Germanense psalterium nondum ausus sum saeculi sextí nullam habere rationem.

Attamen S. Cypriani codex Paris. Suppl. Lat. N°. 712, apud Silv. tab. 48, de Wailly II. 2, nos moratur adhuc, quippe qui ad amussim conspiret cum nostro manuscripto praeter litterarum mensuram. Montfaucon autem diserte de illo pronuntiaturus iudicavit eum saeculo septimo, Psalterium quod eodem volumine continetur, sexto septimove esse exaratum; verum Benedictini adversati sunt illi, quartum quintumve huic libro assignantes et sic Osannus, dummodo accuratius inquisivisset, haud spernendos suae opinionis nactus esset defensores. Et vel sic tamen nondum mihi persuasum est illos verum vidisse; non enim certum afferunt scripturae semiuncialis exemplum ex tam remoto tempore, imo littera A in nostro videtur antiquior, quae cum B, P, R caret antiquitatis indicio quod modo urgebam, dum F, P, N inferne protrahuntur paululum, et occurrit littera: u priore ductu superne curvato. Contra septimi saeculi defensorem afferunt membranas candidas atque subtiles; at iidem illi Benedictini ad sextum et post decimum saeculum talem iis fuisse naturam nobis auctores sunt, atqui non meae opinioni adversatur eadem haec palimpsesti nostri natura. Urgent paginas duobus columnis descriptas; at neque hoc venerandae anti-

quitatis documentum meam convellit opinionem, duravit enim ad sextum saeculum hic usus, imo Silvestre fragmenta Arriana, Vatic. N°. 5750, tab. 153, bipartito scripta septimo tribuit. Nec cetera obstant, lineas dico per latercula tantum non per totam paginam ductas, initiales a linea scriptas, scripturam continuam, sigla litterasque contractas, quaternionum notationem, titulorum litteras alternatim nigras rubrasque; haec omnia probam antiquitatem arguunt, et septimum saeculum respuunt partim, verum ubi alia iam apparent argumenta, vix indicant quartum saeculum prae quinto, prout ego sciam.

Miror horum librorum, de quorum aetate constat, tam parvam habuisse rationem Silvestrem, qui sedulo cetera sua huius semiuncialis scripturae exempla ad septimum refert saeculum, recte universe sed in quibusdam accuratius adhuc illi erat versandum. Quidquid est, lubet nunc in paucis demonstrare non adversari quam plerisque tribuerit aetatem huic meae opinioni. Nam cum nostro conspirant multae, vide F, q, T, in Lactantio Bononiensi Silv. tab. 82, qui saeculo sexto item a Mabillon assignatur. Sic Livius Vindobon. N°. 15, Silv. tab. 136, saeculo sexto exeunte scriptus esse videtur illi, atque conspirat in plerisque cum nostro etiamsi minore forma scriptus, sed a, L, τ paulo recentiores sunt; Codex Theodosianus Paris. in bibl. reg. Silvestri est sexti saeculi, verum Maurinis assentior sequens saeculum huic manuscripto tribuentibus, propter: a iam in hanc formam et in novitiam illam: *a* migrantem, et fortasse propter discrimen inter vocalem u et consonantem v, cetera; quidquid est nostris sunt recentiores B, C, F, G, L, X, Y. In Pandectis Pisanis, (nisi Mediceas malis, nam in Laurentiana bibliotheca eas meis oculis lustravi, verum non ad funalia, ut antea), saeculi septimi certo indicio est: a, *b* coniunctim b et B exarata, F, G, P, q, R longius inferne extractae; vide Silv. tab. 18. Attamen non vacat in singulis subsistere, nec urgere tituli scripturam rusticam ad speciem antiquiorem in S. Prosperi Epigramm. Paris. Suppl. Lat. N°. 669, Silv. tab. 51, cuius contextus semiuncialis recte septimum saeculum sibi vindicat;

sed Benedictini initium sexti saeculi tribuerunt illi, quod nimium mihi esse videtur; sufficiat verbo nominasse Bibliorum Eccl. Paris. N. D. 1 bis, Silv. tab. 57, maiorem scripturam diligenter eodem aevo depictam sed ita, ut rigidior appareat; Livium Parisinum N°. 5730, Silv. tab. 59, quem sine dubio septimo tribuas, nec in sequens promoveas, de quo cogitabat Champollion, initiales enim extra lineam nondum factae sunt maiusculae; denique si iam lubet cernere quo modo septimum ab octavo dignoscas, evolve pulcherrima Biblia Amiatina in Laurentiana bibliotheca Silv. tab. 235, quibus illud, et quibus hoc aevum tribuitur, Vaticana N°. 3836, Silv. ibid., necnon Gregorium Turensem Paris. Eccl. N. D. 132 bis, Silv. tab. 41, et Benedictinis assentieris, opinor, Breviarium Alaricense in bibl. Monac. Cimel. II. 4. A, Silv. tab. 126, octavo saeculo assignantibus contra sextum, quod alii defendunt.

Ceteri, quos vide apud Silvestrem tab. 152, Arriana fragmenta palimpsesta Vatic. N°. 5750, necnon Sancti Patres Vatic. N°. 3835 septimi saeculi sunt, paulo recentior est Gregorius ad Iob Monac. in bibl. Cimel. II. 5. A, Silv. tab. 182, denique Vita S. Wandrigisilae Paris. Eccl. N. D. 101 bis, Silv. tab. 79 ex octavo; ceteri, inquam, ad unum omnes certo discrimine se produnt nostro Tulliano esse recentiores. Nec de aliis Tullianis palimpsestis, deque Frontone nec de Scholiis Bobiensibus nunc dicere vacat, in suum locum de illis examine relegato, ut sic demum huic disputationi finis imponatur, nam cetera, quae accedunt argumenta, formam et naturam membranarum, mensuram linearum laterculorumque, quaternionum notationem, scripturam continuam, initiales itidem unciales necdum maiusculas extra lineam scriptas, titulos partim rubro exaratos, litteram ʏ puncto non superaddito, lineolam qua *m* et *n* indicantur, litterae sic suprascriptam, ut ad dextram flectat, compendia punctis notata, litteras contractas in monogramma, alia quae sunt huius generis, recte omnino licet quae in iudicium voces, nunc non recoquam, nam nullum ex istis meae adversatur opinioni, cadunt enim omnia in hunc codicem ac in

ceteros libros saeculi quinti sextive, quae vide si tanti est apud Silvestrem[1]), qui quam ob causam non qua par erat diligentia hunc politicum manuscriptum examinaverit satis mirari non possum. Quod autem ad aetatem definiendam facit, menda librarii erroresque, iam vide quotquot istorum invenerim, in Collatione mea, quae infra sequitur post paucos eos locos, quos sanare lubuit, ut in quibusdam saltem appareat haud vanum meum fuisse laborem.

OBSERVATIONES

AD SCRIPTURAM QUORUNDAM LOCORUM

CICERONIS DE RE PUBLICA.

LIBER I.

Cap. I. § 1. *Liberavissent.* Litterae *nt* in monogramma coaluerant, sed fugit correctorem leve huius rei indicium, et sic simplicem N legens addidit *t*. Simili modo § 68 huius libri verbis *sunt*, *existunt* littera *t* suprascripta est, ubi nullum apparet indicium monogrammatis, quam ob rem ex probabili coniectura primam manum eodem vitio illis locis lapsam esse statuo, in quod corrector hoc loco dedit. Notanda sunt ista minora iis, qui de scriptura codicis, ex quo palimpsestus descriptus est, disputare velint; cf. mox ad § 3, 11, 64.

§ 3. *Quaereretur.* Miror Maium post repetitam codicis lectionem scripsisse «Cod. *queretur*,» nam luce clarius cernitur imperfecti coniunctivi terminatio in ipso limine folii versi, et prima syllaba in imo folio recto.

---

1) Adde Nouveau traité de Diplomatique II. p. 390 sqq.

Ibid. *Consiliis*. Correcta est primae manus CONSUIS superscribendo IL deletae litterae u, unde sequitur librarium in codice quem describendum sibi sumserat, haud ita recte distinxisse has litteras, idem enim locum habuit § 67 huius libri, ubi pro voc. UBERI recte scripsit emendator LIBERI, et libri II § 31, ubi FETIAu correctum est in FETIALI. Itaque littera L ceteras mensura non superabat in codice, quem prima manus ante oculos habuit; idem observare licet in Sallustio Vaticano, in Terentio Vaticano N°. 3226 et Lucano Palatino N°. 24; si iam de codicis archetypi scriptura coniecturam facies, maiusculis eum exaratum fuisse statuas, ut tres illi, qui item codicem politicum aetate superant; cf. infra ad § 11.

III. § 4. *Neque solum in tantis rebus*. «TAI post *neque*, deinde expunctum, quae fuit metathesis *τοῦ ita*.» Maius. Coniecturae doctissimi editoris aliam liceat opponere probabiliorem opinor; offendit illud *ita*, quod non sine longiore defensione Osannus recepit; at scimus librarium in singulis fere dixerim paragraphis paucas litteras aut breviores voces omisisse, quas corrector sedulo adscripsit; quidni ponamus eum omissis *solum in* statim post *neque* scripsisse TANTIS, sed perspecto errore substitisse in medio vocabulo, imo in media littera N, et sic puncta tribus istis addidisse, atque *solum in tantis* recte subiunxisse?

§ 5. *Dicuntur*. Videant acutiores sitne codicis lectio *dicunt* huic sententiae aptior; forma passiva hoc capite occurrit coniunctim cum 3 pers. plur. formae activae.

§ 6. *Marii*. Corrector adscripsit alteram *i*, quae fere tota latitans sub Augustini *Adiutorium* fugit vel acutissimos Maii oculos. Facile intelligitur multos locos recte emendatos latere adhuc simili modo sub Augustini Commentario, cuius rei rationem habeant necesse est illi, qui correctori iudices et obtrectatores exstiterunt.

Ibid. *Principum caedes, vel eorum multorum pestes, quae paullo post secutae sunt.* Proposuit Osannus *pr. c. bellorum multorum pestes*, praeter alia hoc quoque argumento allato, patere unicuique codicis exemplum a Maio exhibitum intuenti pro L facile E scribi vel legi potuisse. Vehementer nego, nam versus 4 Codicis folii 61 aut versus 1 folii 51 evincunt fere idem esse discrimen in recta et longiore l et rotunda *ɛ*, quod in his ipsis typis, quibus nos utimur, intercedat; contra error est proclivior in maiuscularum scriptura, vide luculentum exemplum in Lucano Palatino N°. 24; nam vel in ceteris uncialibus longior forma litterae l retinere debuit librarium, nec aliud in rusticis usus voluit, vide Codicis nostri titulum in eadem tabula, excepto fortasse Sallustio Vaticano, ubi contra L latior est. Quae quum ita sint, Osanni coniectura etiamsi ingeniosa non accipienda videtur; accedit, quod Tullius versatur in colligendo *virorum* calamitates et iniurias iis ab ingratis *civibus* impositas non vero temporum bellorumve miserias, convenit ergo pronomen *eorum* cum Romanorum exemplis, quae praecedunt, non ita *bellorum*. Nec mihi persuasum est Tullium de brevi spatio a Marianis temporibus, imo a principum caede post Marii reditum insecuta usque ad suum exsilium loquentem *bellorum multorum pestes* dixisse, nam bella civilia omnia inter se connexa, quae sibi vult Osannus, non cadunt in hoc tempus.

VI. § 10. *Consul fuissem? Consul autem.* Quae omiserat 1. manus *fuissem consul*, bis suppleta leguntur, nam postquam syllabae *cŏn* superadditum erat *consul fuisse(m)*, insertum est sequenti versui *sul fuissem con.* Habemus ergo duplicis correctionis exemplum, ex eo natum opinor, quod iam olim primae manus correctio evanida facta aut erasa nunc per reagentia chymica simul cum altera in lucem revocata sit. Eadem ratione explicari potest, quod § 42 huius libri vocabuli *sententia* bis legatur syllaba secunda; prima manus eam omiserat versum sequentem statim cum *tia* incipiens, quo errore per-

specto minutas litterulas TEN praecedenti versui in margine subiunxit; fugerunt correctorem sive erasae sive tenuiores, et sic easdam superaddidit litteris *tia* in versu sequente. Similiter libro II. § 2 ex QUI factum est quR̊Ũ, quod tum ita erasit corrector, ut QUI nunc restet. Eodem modo libri II. § 26 *patrici|nio* ubi legebatur, primae *i* suprascripta est littera *o*, qua ab altera manu sive neglecta sive non lecta, N facta est ex CI, superadditae sunt OC et I, et expuncta in sequenti versu terminatione, subiuncta est littera O in margine praecedentis. Contra non video, cur altera manus libri II. § 30 *non* suprascripserit vocabulo *fortuito*, nam legebatur optime exarata negatio. Tum eiusdem libri § 31 suo loco inter lineas adscripta sunt *isque de imperio suo*, *exemplo Pompili* a prima manu omissa; atque prorsus eadem in ima pagina leguntur. Ibidem § 48 vocabulum *invisius* in summa pagina iteravit recentior manus, etiamsi recte suo loco in textu exstat; latet huius rei causa, nisi forte forma comparativi Ciceroni haud ita rara librario lectorive notanda visa sit. Quod nunc legitur § 52 ibidem *carere rege* ex duplici correctione elicuit editor, nam quod primum *cane|rereges* erat, *re* suprascripta litterae *n*, punctisque notata altera syllaba *re*, erasaque *s*, non factum est *carere rege* nisi spretis punctis. Denique § 54 litterae *ve*, quae deficiebant in *neve verberaret* bis additae sunt.

Ibid. *Potestas est ex tempore.* Dubitat Maius correxeritne altera manus *in tempore*, et re vera cernuntur lineolarum vestigia quaedam crassiora, quae cave pro litteris IN accipias, nam de istarum saltem origine constat, quippe quae maculae ortae sint ex voc. *mei* folii praecedentis 82, quod iusto citius librarius vertit, et sic bene multae maculae apparent in pagina 83, quarum rationem nullam habuit editor, exceptis his, quae speciem quandam praebent litterarum *in*; non enim suspicari licet Maium de hacce praepositione dubitantem sibi voluisse suprascriptum Augustini «*in*nocens», etiamsi istius erroris aliud exemplum invenerim lib. II. § 43.

§ 11. *Regere.* Sic correxit altera manus litterae c erasae superscribendo g, unde coniicias, nisi ista explicet pronunciatio, discrimen inter duas illas litteras exiguum fuisse in libro, quem librarius descripsit; attamen bene tenendum est idem illud in fere omni scriptura maiuscularum locum obtinere.

VII. § 12. *Propius.* Codex habet *proprius* addita incerta emendatione, nam Augustini librarius *mulierem* supraposuit, sed non est expunctionis indicium, de quo Maius.

X. § 16. *De vita.* «Cod. *bita* mox ibidem factum *vita.*» Maius. Non ita, nil quidquam cernitur litterae *v*, nec potest fieri, ut Maius eam viderit sub Augustini «*tribus malis.*» Nec vero respuenda emendatio, dummodo editori tribuatur, nam in aliis locis incerta est quaestio propter palimpsesti naturam, hoc vero et praecedenti loco Maium lapsum esse contendo.

XII. § 18. *Dein, quum essent perpauca inter se uno aut altero spatio collocuti, Scipionique eorum adventus periucundus et pergratus fuisset, placitum est.* Hanc arripuit Maius in altera editione virorum doctorum emendationem pro codicis lectione *quo eorum* aut secundae manus *quorum;* at potuerat iam antea ita legere, nam hanc probatam lectionem iam primae manui debemus, quae rite in fine prioris laterculi *Scipionique* scripsit, et sequentis initio *Eorum*, nec aliud sibi voluit corrector, opinor, quippe qui lineolis deleverit litteras *Eo*, et *o* suprascripserit verbo *que*, sed ita ut *e* non deleret, unde recte procedit *Scipioniqu' eorum;* elisionis exempla passim occurrunt.

XIV. § 22. *Eandem illam* (sphaeram) *astris caelo inhaerentibus esse descriptam.* «Cod. 1 manu *illam stellisque caelo*, 2 vero deletum *stellisque* et scriptum *astris.*» Maius. Copula residua *que* Osanno fuit indicium, Ciceronem scripsisse *astris stellisque*, quam opinionem novis argumentis

tueri postea conatus est. Non assentior illi, nam nil aliud est quam primae manus error recte emendatus, nec vero illud *que* pro coniunctione accipiendum contendo, pronomen est. Tum male subiecit Maius: «*inherentibus*, Cod. sine diphthongo, sed deinde haud scio an sit superaddita *a*, sed et ipsa terminatio vocabuli in codice est obscura;» at quae cernuntur supra hoc vocabulum, sunt maculae ex alius cuiusdam folii scriptura ortae, quas cave pro correctione accipias; est hoc levius, verum non ferenda videtur Maii negligentia, participium illud dico, quod in Codice non legitur; habet nempe satis perspicue: *a stellis isq. caelo inhererent*, quod de more primae manus equidem sic legerim: *a stellis iis quae caelo inhererent*, tum deletis *ell* suprascripta *r* factum est: *eandem illam* (*sphaeram*) *astris iis, quae caelo inhererent, esse descriptam.* Fateor offendere pronomen *is* vel *iis*, quod corrector expunxit fortasse, sed ubi codex habet *quae inhererent*, editori non licet scribere participium.

XVI. § 25. *Atque eiusmodi quiddam etiam.* Operae pretium erit notasse, quod Maius reticuit, a secunda manu illud *dam* esse adscriptum imo laterculo priori; dubito enim possitne coniungi *eiusmodi quiddam;* tum quod sequebatur in limine alterius laterculi ante *etiam* verbum *quid* expunctum est. Qua lectionis varietate acutiores sententiam constructione longiore laborantem adiuvent.

Ibid. *Itaque etsi non omni intermenstruo, tamen id* (solem obscurari) *fieri non posse nisi certo intermenstruo tempore.* Notavit Maius alterum illud *intermenstruo* a 2 manu esse additum, recte illud quidem, verum fugerant eum puncta praecedenti vocabulo *certo* superaddita, quippe propter Augustini «auferat» pro parte evanida facta. Sequitur hinc in locum vocabuli *certo* subiisse *intermenstruo*, quod sententiae melius convenire mihi videtur, nam sic quoque oppositio bene se habet.

Ibid. *Solem lunae oppositu[m] solere deficere.* Hanc genuinam lectionem viri docti certatim restituerunt e coniectura, quod iam Maius facere potuisset, nam recte litteram *m* deleverat corrector lineola, quae mihi statim apparuit paginam maculis inquinatam accurate intuenti.

XVIII. § 30. *Quum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluae.* Fallitur Ribbeck, Trag. Lat. Rel. p. 35, scribens codicem habere *numen*, nam legitur *nomen* et admodum perspicue *nepa;* notavit quidem Maius vitiose scriptum esse in Codice *nlupa*, sed hic quoque eadem chorda aberravit, maculas quasdam leviores, quae ne formam quidem litterarum LU praebeant, cum vera scriptura permiscens.

XIX. § 31. *Obtrectatores autem et invidi Scipionis initiis factis a P. Crasso....tenent alteram partem.* Quam negligenter librarius scripserit, hoc exemplo facile demonstrari potest; ut enim supra vidimus paucas quasdam litteras aut verbi terminationes omissas aut in brevius contractas, hoc loco miscuit quae describenda in animo habebat *Scipionis initiis* deditque *Scipiis initionis.* Ridiculus error correctus est, nam punctis notatae sunt litterae *on*, et vocabulo *Scipiis* suprascriptum aliquid apparet, quod, etiamsi Augustini *aquae* id non abstulerint, non cernitur.

XXI. § 34. *Cum Panaetio coram Polybio duobus Graecis vel peritissimis rerum civilium.* « Cod. *vel Graecis vel peritissimis*, sed priore loco vox *vel* fortasse expuncta est.» Maius. « Distinctius quam antea Maius, quid in codice legeretur, nunc declaravit. Itaque nemo in dubium amplius vocabit lectionem.» Sic Osannus, at in priore editione absque ulla ambiguitate dixerat Codicem habere *vel Graecis*, sed vocem *vel* fortasse expunctam esse. Nec vero acquiescendum est, me iudice, in Maii repetita lectione, siquidem secundum *vel* abesse in codice mihi apparuerit, et nullum omnino expungendi indi-

cium, de quo Maius dubitabat; haud scio an Cicero aliud scripserit, quam quod Codex habet: «duobus vel Graecis peritissimis rerum civilium.»

XXII. § 35. *Nisi quo sit in illo genere melior.* Hic quoque macula ultimo vocabulo adhaerens Maium induxit in errorem; tribuit enim superadditam maculam, quae ne formam quidem litterae *i* arguit, correctori, unde parum probabilis nasceretur lectio, nec vero nata est. Emendatoris obtrectatoribus talia notanda sunt.

XXVI. § 41. *Reperiatur ulla instituta.* Moserus turbas dedit, nam recte ediderat Maius *institutio*, ut codex habet, nec aliter Steinackerus, cui male obtrudit coniecturam *instituta;* quod si iam Nobbio Maioque in altera editione probatam fuisse *institutio* scripserit Osannus, aliam subesse causam scitote, genuinam nempe codicis scripturam, atqui non sunt, ut idem ille monet, perincerta; hinc sequitur Ottonis speciosam coniecturam *reperiantur* spernendam esse.

XXXIV. § 52. *Virtute vero gubernante rem publicam, quid potest esse praeclarius? quum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; quum quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse, nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat; sed suam vitam ut legem praefert suis civibus.* Osannus inseruit *sine ulla cupiditate* post verba *complexus est ipse*, cui non assentior; primo enim in codice scriptum est *in ulla cupiditati* ante pron. *ipse*, ut recte Maius monuit, tum dubium iam nunc tollendum est fuerintne ista re vera deleta, ut idem ille scripserat, nam lineola deletae sunt *ul* et ceterae expunctae, de praep. *in* res incertior, quae si iam librarius aut corrector emendaverit, cur quaeso feramus ex superioribus vitiose repetita, quae modo recte leguntur in oppositione, hic vero otiosa offendunt, et mutata atque transposita demum servari posse viden-

tur. Accedit gravissimum ni fallor, argumentum, quod causa nempe adest quae vitiosae repetitioni ansam dederit, paginam verterat librarius; hinc illae lacrimae, cf. II § 2, 58.

XXXV. § 54. *In primo autem genere, quod.* Sic supplent lacunam; Maius proposuerat in principe editione *in primo genere tamen quod*, quae verba non conveniunt cum duorum versuum spatio: *In primo genere* ¦ *tamen quod.* At editor postea hoc voluit: *In primo au* | *tem quod*, et vestigium litterae T in ultimo pagellae versu exstare significavit, verum septem litterarum spatium solemni minus est, nec lineola ista solam litteram T ibi exaratam esse indicat.

XXXVIII. § 60. *Et illud vides, in animis hominum regale si imperium sit.* Viros doctos de genuina lectione dubitantes monitos velim codicem habere *videsi in* et *regales imperium*, non *videst in* et *regale si imperium*, ut dixit Maius.

XL. § 62. *De quo progrediente oratione multa me dicturum puto.* Pro *multa* prima manus dederat *vita*, cui quidnam suprascriptum fuerit, latet, nam praeter lineas quibus *it* deleantur, nonnisi litteras . . *tura* licuit in lucem revocare. Maius primo legerat *ventura*, tum *futura;* sed omnino non est, cur Osannus Maio irascatur, non factum est «illius culpa incredibili,» ut nondum liqueat, quid re vera codex habeat, rem palimpsesto tribuas; atqui non erat cur hoc saltem loco Heinrichio poenas dedisse Maius diceretur. Nolo promere Cobeti v. cl. coniecturam, pro .TURA legentis PLURA, vestigia scripturae correctoris non obstant, atqui sic restituatur Tullii manus.

Ibid. *Tum secessio plebis, tum prorsus ita acta pleraque, ut in populo essent omnia.* Favet Moseri coniecturae *secessiones* legentis, quod equidem solam litteram *m* expunctam viderim in *secessionem*, cui forte *s* suprascriptam Augustinus abscondit, quemadmodum sub *Eva* illius latet,

sitne primae manus scriptura *plebiet* pro deleta ultima *e* emendata in *plebistum*.

XLI. § 64. *Sicut ait Ennius.* Prima manus dedit *o Enni-us*, quam litteram a correctore expunctam in ǫ emendatam retinet Maius. Minus recte, nam non est cur Ennius hoc unico loco praenomine gaudeat, quod abesse solet apud Ciceronem. Quod si non esset, ex littera o cum ǫ permutata equidem deduxerim librum Vaticanum esse descriptum ex antiquiore codice litteris maiusculis qui exaratus erat; nunc vero librarii negligentiae nil superstruas.

Ibid. *Qualem te patriae custodem Dī genuerunt.* Codex habet *dii*, prior *i* Maio expuncta esse videbatur; equidem nullum delendi indicium cernere potui; promiscue utraque forma occurrit in libro nostro, *Dii* Lib. II. § 18, *Di* Lib. I. § 19, II. § 29, et sic in ceteris.

Ibid. *Heros.* Codex *eros;* Maius dubitat fueritne suprascripta *h*, nec ego eam vidi, nec crediderim eam latere sub Augustini *corpore*.

XLIII. § 66. *Potuero; nam.* Prima manus dederat *potuerunt*, tum ultima *u* in *o* correcta, et *nt* monogrammati, quod lineola deleretur, apparet *o* suprascriptum; vocabulum *nam* equidem non vidi, sed locus est lectu difficilior; pertinet igitur ad exempla duplicis correctionis, nisi Maius quo tempore scriptura non adeo obfuscata esset, recte legerit, siquidem copula *nam* desideratur.

§ 67. *Plena libertatis esse omnia, ut et privata domus omnis vacet dominatione.* Sic recte habet codex, nam fallitur Maius legendo *aut* pro *ut*, littera *a* semel apparet, et ad praecedens pertinet vocabulum, nec abstulit eam Augustini *molestum*.

Subscriptio Libri I non legitur in puro, quod post finem capitis ultimi relictum est laterculo. Maius ad exemplum libri II, cuius perspicuus exstat titulus, hunc supplevit:

.M. TVLLI CICERONIS
DE RE PVBLICA
EXPLICIT LIBER I.

et primam litteram M in codice paulo evidentiorem apparere monuit. Equidem unicum quod cernere potui huius praenominis vestigium scilicet I, aliunde ortum credo; est enim una de multis maculis, quibus quod praecedit folium hocce inquinavit. Nec fieri potest, opinor, ut legatur praenomen illud, nam omnino nullum tituli apparet vestigium, sive nondum exaratus fuerit, quod forte alius librarii munus fuit, sive ornandi causa rubro eodem illo suco scripserit eum, quo partem tituli libri sequentis exaratam esse recte coniecit Maius; quem sucum coloratum quum aqua totum abstulerit, non est cur pronomen servatum esse credamus. Denique si subscriptio nobis supplenda est ad libri secundi exemplum, refingatur in hunc modum:

.M. TVLLI CICER.
DE RE P. LIBER I. EXP.

LIBER II.

Rhetori, qui sibi placet in usu coniunctivi, hunc verbi modum reddamus ead. pag. v. 41, ubi lineola Maium fugerat in his: «an profanus sit, qui talia *somniaverit*.»

Paragrapho 5 ibid. de negotiali exstat locus, quem Maius in editione secunda correctiorem dedit, nec vero persanavit; est p. 202 v. 20: «negotialis status est, quum quaeritur de quantitate alicuius rei vel in mensura vel in numero, quod genus quaestionis incidit nonnunquam in civiles actiones, quum aliqua ratio acceptorum, expensorum et solutorum inducitur, vel quum de *numeratione agitur* inter vicinos. Et modo *primo* quaestio nascitur, vel cet.» Pro *numeratione*, quod est in codice, Orellius coniecit *iugeratione;* veram sine dubio Maius restituit lectionem *mensuratione*, nam *nu* et *ms* siglis suprascriptis facile permutari possunt, et exemplum mensurae requiritur. Tum pro verbo *agitur* codice denuo inspecto recte legit *agrorum*, sed verbo sublato sententia hiat; Maius male interpunxit sic: *vicinos. Et;* nam sententia pergit in codice, et sequentia huc pertinent, in quibus littera *p* denuo ridiculum errorem peperit; quod enim Maius legit *modo primo* per compendia in codice scriptum est: *m p m*, utrique *m* superaddita *o*, dum litterae *p* nota affigitur, qua *pro* significatur. Denique legamus: «vel quum de *mensuratione agrorum* inter vicinos et *modo pro modo* quaestio nascitur.» — In tertio exemplo «vel quum propter onera *fugienda* de bonorum permutatione agitur», rhetor aliud fortasse sibi voluit, nam verbum *fugienda* emendatum est in *fungenda*, quod non vitiosum esse videtur.

Quod Orellius hac pag. v. 31 proposuit: «quum plura genera poenarum sunt *diversis* legibus constitutarum,» pro *divisis*, accipi potest; versamur enim in libro, cuius singula verba ex abbreviationibus sunt explicanda. Sed nolo iudicis partes suscipere nec pronuntiare de omnibus, quae Orellius et Baiterus recte mihi emendasse videntur, quorum nonnulla in textum recipienda illis fuerant.

Non opus esse videtur, ut librarii manus corrigatur v. 38 eiusd. pag.: «Praeterea etiam illud est negotiale quaestionum genus, in quo singulae rerum qualitates patiuntur quaestiones, quae ferme *et*[*iam*] in legum *et* in rogationum lationibus ob-

servari solent.» Expungantur tres litterae, quae compendio coniunctionis non significantur.

Pag. 204 v. 24, ibid. § 8, edidit Maius in exemplo causativae antithesis: «imperator fugientibus ad moenia militibus, bis acie pulsus, tertio disiecit muros et conflixit et vicit. *Nemo* potest dicere recte factum, sed adfirmat maius ex eo incommodo commodum esse quaesitum.» At in codice est: *Ñ enī*, legamus itaque: «*Non enim* potest dicere,» imperator nempe.

V. 23 pag. 205, § 10, rescribendum est ex codice: «bis de eadem re agere *ne* liceat.» In editionibus legitur *non*.

In loco de legibus contrariis § 13, p. 206 v. 21, dicitur harum esse status, «quum peristasis ipsa, quamvis diversissimas leges, ita tamen comminus conducit, ut contrariae esse *videantur*.» Librarius dedit *viderentur*.

Paulo post v. 28: «actores alter alteram tuentur partem» ita exhibentur quidem in codice, sed adscriptis siglis in hunc modum: *"tuentur "partem*, id est horum verborum ordinem esse immutandum. Editorem fugerunt huius rei indicia locis nonnullis, quos vide in Collatione, nam nil attinet singulos illos emendate hic describere; sunt autem p. 226 v. 7, p. 231 v. 36, p. 246 v. 26 et 46, p. 253 v. 14, p. 254 v. 15, p. 255 v. 5 et 17, p. 266 v. 1 et 17, p. 267 v. 15.

Definitionem scripti et voluntatis status § 14, p. 207 v. 3, sic exhibuit Maius: «Quando alter verba praestat quae scripta sunt, alter sententiam interpretatur vel *quiddam* excipit.» In codice est: *q̄ d a* id est *quaedam*, quae pluralis forma requiritur.

Erat hoc minoris momenti, et sic Orellium facile fugit, sed quo modo utrumque editorem fugerit ridiculissimus error v. 11, equidem non assequor. Versatur paragraphus in statu scripti, quando alter sententiam *interpretatur*, quae verba alter praestiterat; tum pergit: «Scripti autem *intemptamus* tribus modis, aut scripto ipso, aut ex legibus exempla ducuntur, aut ex legis verbis argumentantur, cet.» Quis quaeso haec concoquet? Maius codicis sigla: *ītp tam* miserum in modum sic explicuit,

ubi equidem *interpretamur* lego, quod vel sine collatione restitui debuisset. Recte autem p. 216 v. 21 et 25 edidit *interpretatione*, ubi in codice bis est *intentione*, quam vitiosam scripturam Orellius defendere conatus, operam perdidit.

Editor adnotavit voc. *tres* esse corruptum p. 208 v. 10, Cap. IV § 1: «Post haec meminerimus, alias esse controversias simplices, alias coniunctas. Simplices, *tres* status habere, id est, aut non feci, aut non hoc feci, aut iure feci, et cetera. Coniunctas vero totidem status plerumque recipere posse, quot sint crimina vel species.» In codice *tres* deest, Maium apparet igitur supplevisse de suo vocabulum, quod ipse fatetur sententiae non convenire; denique numerum statuum equidem non desidero, aliud quid excidit, ni fallor, definitio fortasse simplicis controversiae.

Revocata lineola ex perfecto faciendum est futurum exactum in fine huius §, p. 208 v. 17: «Et ideo quum *inciderit* composita causa, licebit eam sic tractare quasi plures causas.»

Pag. 209 v. 38 ibid. § 2. «Veri similis defensio est, quae plerumque horum argumentorum est *confirmatio*.» Codex exhibet *confirmat*^{i}*x*, id est *confirmatrix*, quod recipi potest.

Necessarium non erat Victori obtrudere verbum, quod ipse non scripsit nec librarius, p. 210 v. 23 in hac controversia: «Vir fortis habeat praemium, quidam fortiter fecit, praemio *captivae* [*mulieris*] nuptias accepit, veneno periit, rea est captiva veneficii.» Cf. simile exemplum p. 200 v. 16, ubi item sufficit *captiva*.

Sigla litterae *q* male intellecta ab editore vitium pepererunt, quod Maio et Orellio vix ignoscere poteris; est pag. eiusd. v. 27. «Consilia etiam tractabimus, *quod* quidem in huiusmodi controversiis vice veri similis defensionis hoc in loco plenius exsequimur.» Nemo non vidit $\bar{q}$, id est *quae* legendum esse.

Adnotavit Maius ad verba ibid. v. 38: «Tres igitur reliqui loci *divisionem* fungentur» sic legi in codice, sed non ita est, nam librarius sic dedit: *divisio̅e*, id est *divisione*, etiamsi

lineola litterae *e* potius suprascripta sit quam *o*. Contra in verbo *fungentur* prior *n* deest.

Revocanda est coniunctio *et*, quam editor male exulare iussit ibid. § 4, pag. 212 v. 3. «Sequens locus est, legem esse contrariam vetustis legibus, ut Demosthenes adversus Androtionem *et* Aeschines adversus Ctesiphontem faciunt.» Nec deest copula loco simillimo in versu, qui statim praecedit: «ut Marcus Tullius de lege agraria facit, *et* Cato saepe.»

Eandem coniunctionem male omisit ille paucis versibus post, v. 11 ubi duae controversiae proponuntur. «Ab obscuritate: quos dicat liberos, utrum naturales an adoptivos, *et* utrum a se natos, an hos, qui inde nascentur.»

Plura omisit Maius, ut librarii solent quum idem repetitur verbum; quod si typothetae negligentia accidit, editoris erat eum corrigere. Sic nobis periit una de universalibus propositionibus, pag. ead. v. 15: «an iustum indemnatos *necari*, *an utile iuvenes* necari, an ipsis quoque patribus inutile.» Nec diutius *patres* illi nude positi non habebunt, unde pendeant.

Editor nobis auctor est codicem pro *vel* habere *velut* p. l. v. 35. «Possit hic fortassis et comparatio qualitatum moveri: utrum illi melius fuerit non videre omnino filium, an *velut* talem videre.» At librarius dedit *ult* cum lineola transversa in *l*, qua omnino non *velut* significatur, est *vult*, quod quum hic offendat, vera lectio circumspicienda erit adhuc.

Interiit verbum, quod Victori reddendum esse videtur, ibid. § 5, pag. 213 v. 13, est locus de matrona cynicam sectam exercente: «an quum affectet insolita feminis, male vivat, an quum litterarum artes *affectet*, an quum philosophorum, an quum cynicam legem sequatur.» Tertio loco deesse potest verbum, contra secundo requiritur.

Sequenti §, v. 25 edidit Maius: «Destruimus autem locis VI, coniectura, qualitate, definitione, translatione, quantitate, comparatione.» Haec recte procedunt, attamen codex habet «locis ijſ,» quo *duobus* aut *iis* vel *his* significatum credideram, illud nexus respuit, verum hoc legi debet, quippe quod

probetur exemplis simillimis: p. 215 v. 30 «scripti et voluntatis statum dividimus *locis his* », ubi tres afferuntur; p. 216 v. 8 et 39, p. 217 v. 10; contra Maius pro sua lectione invocare potest p. 209 v. 15, p. 214 v. 33.

Ibidem, pag. 214 v. 14 excidit particula, quae Iulio reddenda videtur; est exemplum adsumptivae per compensationem: «tyrannus, trecentos nobiles uti secum gubernator transveheret, imperavit; ille omnes naufragio per dolum perdidit; reus est laesae rei publicae.» Tum destruitur controversia «conpensativa adsumptione: an quum simul *et* tyrannum perdiderit, non modo non laeserit, verum etiam iuverit rem publicam.»

Quod pag. eiusd. v. 21 Baiterus vidit excidisse «Adsumptiva venialis,» iure suo in textum recipere debuerat.

Sequenti §, ibid. v. 40 editur: «an *etiam* iniuria vocanda sit,» ubi codex habet *et.*

Scriptura per sigla et abbreviationes Maium fefellit § 9, p. 216 v. 35. «Nonnunquam et rationalis status incidit, quem et ipsum, quatenus permittit eius *subiectum*, suis locis dividere debemus.» Librarius dedit: *suba* cum lineola transversa in littera *b*, qua significatur *substantia* me quidem iudice; ceteroquin recte ita explicuit editor istas litteras p. 220 v. 18.

Littera *q* iterum turbas dedit ridiculas nonnihil Cap. V, p. 217 v. 25: «plurimum prodest, ut singuli status singulas suas *quisque* divisionum id est argumentorum formas habeant.» Primo scriptum erat: $\bar{q}\,q;$ id est *quaeque*, sed recte emendavit altera manus: $\overset{o}{q}\,q;$ id est *quoque*, quod vel sine codice rescribere potuerant editores.

Contra Baitero nec Orellio vitio vertendum est, quod ibidem v. 36 verba in Maii editione omissa non receperint: «Qui igitur communes argumentorum locos tradiderunt, alios dixerunt artificiales, *sed istius generis quae sunt notare non lubet*, alios inartificiales.»

Cap. VI § 1, pag. 218 v. 8 pro: «*etiam* in coniectura» codex habet *et.*

Revocanda est particula fugax ibid. v. 25, ubi est locus de

artificiali argumentatione, in qua coniecturas dicit «poni argumentorum locis satis non est, nisi oratorum viribus adiuventur, id est, *ut* de vi avaritiae et de vi odii latius disputetur.»

Sequentis pag. v. 11 *q* iterum errorem peperit: «artes honestas aut turpes esse dicimus ex his rebus, *quia* instrumenta earum sunt.» Librarii necnon Victoris manus rescribenda est *quae*.

Similiter singularem posuit ibid. § 3, p. 221 v. 11, ubi lineola pluralem numerum significat, qui loco convenit: «Quia proprium est boni (cod. *bonis*) recte facere, iracundi autem verbis aut manu labefactare, *hoc* ab ipsis esse credamus, aut contra. Nam ut quaedam in quibusdam utique sunt, ita quaedam in quibusdam utique non sunt.» Legitur *h̄*, id est *haec*.

Lineola fugit Maium in sequentibus, v. 15: «dat tamen nonnunquam facultatem argumentandi. *Sic* ostendimus Marcum Tullium fecisse.» Codex habet: «argumentandi, sic̄» id est *sicut*.

Litteram cum lineola suprascripta negligens ibid. § 4, v. 22 Maius verbum omisit. «Secuntur hi loci, qui circa rem.» Codex habet «qui s̄ circa rem,» id est «qui *sunt* circa rem.»

Editur vitiose ibid., pag. 222 v. 27. «Marcus Tullius (p. Caec. XII seq.) definit id esse *prohibere*, quod deiici, quoniam ex utroque id *consequatur*, ut aliquis amittat eum locum, ex quo prohibitus est vel deiectus.» Sic in codice quoque primo scriptum erat, sed activa forma ferri nequit, atqui recipienda erat editoribus alterius manus correctio *prohiberi*; tum codex habet indicativum *consequitur* etiamsi cum siglis.

Copula *et* in codice sic fere ⁊ scribitur, unde facile commutari potest cum praepositione *in* sic ĩ significata, hinc factum est, ut Maius ediderit ibid. p. 223 v. 5: «A comparatione *et* coniectura,» ubi *in* rescribendum est, nam persequitur rhetor argumenta sumenda *in* coniectura et *in* ceteris statibus, p. 222 v. 14. Miror Baiterum ad verbum repetere editionem Romanam maluisse quam rationem nexus habere, ubi error in aprico est.

Non bene explicuit editor compendia hac eadem pag. v. 15: «Facile *qui non* sit hebes ac nimis brutus, assequitur quomodo in utramque partem, his uti locis possit.» In libro est: «q$^{i}_{i}$n,» atqui legamus: «Facile *quis nisi* sit hebes cet.»

Quod si iam in siglis Maium toties videmus titubantem, non adeo mirandi locus est, quod § 6, pag. 224 v. 20 ad verba: «Ut Marcus Tullius Cicero» rogaverit, num pro *Cicero* in codice sit *dicendo*, vocabuli compendium saltem sibi paulo obscurius videri. At cuinam difficultatem praebeat compendium, quod accuratissime sic exaratum est: dix̄? Denique legendum est: «Ut Marcus Tullius *dixit*;» quemadmodum hoc verbo utitur mox v. 29; accedit quod Victor Ciceronem semper compellat praenomine et nomine absque cognomine, vide p. 203 v. 30, p. 204 v. 39, p. 210 v. 4, p. 212 v. 1, p. 219 v. 6, 21 et 31, p. 220 v. 3 et 26, p. 222 v. 17, p. 223 v. 20, cet.

Compendium copulae *et* male pro praepositione *a* habuit editor § 7, pag. 226 v. 9: «Inartificiales adiuvantur iisdem locis, quos tradidimus: a persona, a loco, a tempore, *et* ceteris omnibus, qui in probationibus artificialibus communes argumentorum loci appellantur.»

Eadem pag. v. 33, § 8, lineola ab editore neglecta perdidit temporum consecutionem: «Si id non continget, aut forte causa erit eadem actionum, incusanda negligentia, aut de infirmitate personarum quaerendum, contra quas erit iudicatum; aut de gratia, quae testes *corrupit;* aut de invidia, aut de ignorantia; aut videndum, quid causae postea accesserit.» In libro est «corrupit,» quo intelligenti significatur *corruperit.*

Contra pag. 227 v. 4 idem illud compendium non neglexit Maius, sed cum altero ductu curvato permiscuit, id est edidit: «Exempla *utriusque* non deerunt,» ubi *utrīq;* exstat, atque legatur *utrimque.*

Minus recte Maius non recepit secundae manus correctionem, quam sententiae nexus recipiendam clamat, pag. ead. v. 24: «Ius iurandum qui offert, aut ita se tuebitur, ut eum non sit credibile periuraturum; aut si causa *patiatur*, modo litis,

propter quam devoturum et se ipse non fuerit passus: aut, si praeter alia causae instrumenta, adiiciet ex abundanti hanc quoque conscientiae suae fiduciam.» Quis non videt cum correctore rescribendum futurum *patietur?*

Compendiosa scriptura nonnumquam ambiguam sententiam peperit, sic nostrum est iudicare, an Maius recte explicuerit verbum *orōĭbus* ibid. § 8, pag. 229 v. 11: «quemadmodum in syllabis, quae scribentium cogitationem non exigunt, si sit usus et consuetudo, sic in *oratoribus* sponte quaedam argumentorum facultas dicendi vel scribendi consuetudine ultro se necessariis locis offerat.» Iam si *oratoribus* legatur, offendet *in*, equidem lego *orationibus*. Prorsus eodem modo hoc compendium explico Cap. XXVI, pag. 265 v. 23, ubi editur: «ex *oratoribus* aliisve scriptis sententiae, si loco proferuntur, sermonem convenustant.»

Expungenda est coniunctio Cap. IX, pag. 232 vs. 16, quae male irrepsit: «Hoc si nolis inferre et inferas id, quod sequitur: fecit igitur incestum, [*et*] concluseris argumentationem.»

Tum in iis, quae statim sequuntur compendium male intellectum verbum fecit e substantivo, v. 18: «Quare in longis argumentationibus ex conductione aut ex contrario complecti oportet; in brevibus id solum, quod conficitur *exponere;* in his, in quibus exitus perspicuus est, consecutione uti.» Non exstat in codice: *expōne*, verum *expone*, id est *expositione*.

Hac eadem pagina v. 25 compendium bis neglectum ablativum pro accusativo peperit Cap. X, in enthymematis definitione, qua «vel primam propositionem praeterire licebit, propterea quod ipsa tantum praesumptione iudicis vel auditoris contenta esse poterit, et *sola ratiocinatione* exsequi, et conclusionem superaddere vel certe conclusionem praemittere, et sensibus iudicis id, quod ratiocinatus est, colligendum relinquere.» Librarius dedit *sōla rōcinatiōne*, id est *solam ratiocinationem*.

Compendium copulae *et* pro *i* accepit editor p. ead. v. 33: «Offendit porro *iisdem* nominibus utendo saepius et eadem collectione referendo.» Legitur in codice *et isdem*.

Cap. XI, pag. 233 v. 26 requiritur coniunctivus, quem recte exhibet liber manuscriptus: « At vero hoc ipsum deinde *exsequitur* — deinde longius prosequatur. » Scribe *exsequatur*.

Adnotat Maius ad verba: « In *eliciendo* enthymematibus raro utendum est » p. 234 v. 33, ita habere codicem, at ductus qui litterae *d* adhaeret, non indicat litteram *o* verum terminationem *is*.

Aliud excidit primo editori quam volebat Cap. XII, p. 235 v. 16; ad verba: « Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio deluitur aut *adleviatur* » adnotavit: « ita Cod. 1 manu, 2 *adlevatur*. Sed illa prior retinenda est verissima lectio contra criticorum dubitationes. » At Orellius verbum *adleviare* prorsus barbarum esse clamat. Recte, nec istud defendere potuit Maius, nam prior lectio, quam retinendam monet, est *adlevatur*, secundae manui tribuenda est *i*.

Perperam legit editor *cū* ubi est in libro *ut*, quod etiamsi imprudenti accidere potest, miror ab Orellio non esse correctum; est p. 237 v. 6: « Aut *cum* commune, » ubi Victor dedit *ut*, quemadmodum in sequentibus: « aut ut vulgare, — aut ut leve, — aut ut remotum. »

Librarius scripsit *et*, ubi in editione est *etiam*, Cap. XIII, pag. 238 v. 23: « Sunt propositiones non tantum simplices, sed *etiam* duplices et multiplices. »

Quod supra recte ab Orellio correctum dixi *diversus* pro *divisus* rescribente, miror non item esse restitutum Cap. XIV, pag. 241 v. 10, quod nunc mihi facere liceat collato codice: « Hoc igitur vitandum est, ne cuius generis posueris, eius sicut aliquam *divisam* ac dissimilem partem ponas, » nexus postulat *diversam*.

Levis error corrigendus est Cap. XV, pag. 242 v. 20: « Non tantum in prohoemio, sed in omni parte actionis maxime prodest, ut dicturus intueatur, qui (recte proposuit Orellius *quid*) et apud quem et pro quo .... dicendum sit. Ita *etiam* facilius, quid adnitendum, poterit institui. » In codice est vera Victoris manus *enim*.

Una litterula omissa paulo post v. 29, sententiam pessumdedit: «Potest nonnunquam post narrationem prohoemium poni. Si enim est quod apud suspicionem iudicum causae officiat, ipsi autem expositionem negotii statim desiderent, possumus utrique rei satisfacere, ut explanata omni controversia, quibus medendum est, leniamus. *Ac si* ad probationes transeamus, quod genus Graeci *μερικὰ* prohoemia appellant.» In codice est *sic*, qua lectione recepta quis non videt unam sententiam male dissectam: «ut, quibus medendum est, leniamus, *ac sic* ad probationes transeamus, cet.» Bene tenendum est autem Maium iure suo sententias distinxisse, quo nomine non ubique omne punctum tulisse mihi videtur, attamen in minoribus istis nunc haerere non vacat.

Pag. 243 v. 41: «Licet principales quaestiones in principio praecerpere, quomodo pro Flacco et *pro* Fonteio Marcus Tullius: Nihil agi illo iudicio, nisi ut magistratus in provinciis non audeant imperare sociis, quod ex usu rei publicae sit.» In codice non exstat altera praepositio *pro*, unde mihi suspicio nata est latere dittographiam in *Flacco* et *Fōteio*, quod in scriptura Longobardica facile admodum misceri potest; accedit quod in oratione pro Flacco haec quaestio non inveniatur.

Iuvat locum vitiose editum restituere duce librario Cap. XVI, pag. 246 v. 16: «Sunt causae, quae narrationem habere non possunt, ut si inter duos de sacerdotio quaeratur, uter sit dignior; in quo nos falli non oportet, quum de nobilitate generis aut de meritis disputatur. *Verum* enim hae non causarum narrationes, sed quaestionum illarum praeparationes, uter nobilior, uter melior meritis, uter praestantior.» Nemo non videt desiderari verbum, et nihili esse quod nunc legitur; in codice est *Er̄*, quo *verum* librarius numquam significavit, est verbum *Erunt*; porro notari potest varietas interpunctionis in codice, ubi est: «uter melior, meritis uter praestantior.»

Quod signum Cap. XVII, pag. 248 v. 21 editor accepit pro *a*, est terminatio *us*: «Quo loco iudicis quoque noscenda natura est, iuri magis an aequo sit *apposita*.» Librarius dedit *appositus*.

Recipienda videtur hac eadem pag. v. 29 correctio secundae manus: «Sales etiam in dicendo nimium *quantum* valent,» lineola subduxit voc. *quantum* adscripsitque *quid.* — In versu, qui sequitur: «hilaritas benevolentiam conciliat, per quem excitata est,» codex habet pro *quem* litteram *q* cum *e* suprascripta et lineola caudae inhaerente; non offendit lectio, dummodo inseras pronomen *ei* ante *per quem e. e.*

Tum ibid. v. 42 rescribendus est ex codice pluralis numerus: «Ut is qui audiet, cogitet *plus* quam videat.» Lege *plura.*

Similiter pluralis compendiose legitur *haec* in codice Cap. XVIII, pag. 250 v. 14. «Quid si leges loqui possint, nonne *hoc* apud vos querantur?»

Recte Orellius in hoc loco vitioso ibid. v. 24: «Primum animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet, quo plerumque facilius *conquestionem commovere* possit,» proposuit e Cicerone rescribere *conquestione commoveri;* notari potest ablativum legi in codice.

Verbum omisit editor Cap. XIX, p. 251 v. 12. «De rerum vero dispositione per singula membra orationis, id *est* cum prohoemio et narratione et ceteris traditum accepisti.»

In loco de elocutione Cap. XX, bis lapsus est Maius scribens, p. 251 v. 16: «Elocutio et Latina debet esse et *apta. Apta* erit utendo signantibus et propriis verbis et usitatis, sine ambiguo.» Librarius utramque sic: ꝑ scripsit, atqui legendum est: «Elocutio et Latina debet esse et *aperta. Aperta* erit cet.;» convenit autem hoc cum Quinctiliano I. O. VIII. 1, *perspicua* verba praecipiente, et cum Auct. ad Her. IV. § 17, qui elocutionem distribuit in Latinitatem et explanationem, et addit «explanatio est, quae reddit *apertam* et dilucidam orationem.»

Interiit una littera omissa praepositio, quae sine dubio rescribenda est pag. 253 v. 9: «Nec vero ad hanc diligentiam redigimus oratorem, ut in structura semper pedes singulos *conspiciat* et collocet.» Dedit enim librarius «cc̃ſpıcıat» id est *circumspiciat.*

Similiter pro verbo composito Maius dedit simplicem formam seq. versu «exercitatione et *discendo* auctores optimos ad hanc eandem cursu perveniet, ad quam ratio deducit.» Scribe ut est in codice *ediscendo*.

Duas primae manus, ni fallor, correctiones editor sprevit Cap. XXII, pag. 255 v. 17, ubi ex Quinctiliano I. O. IX. 3, Victor tradit veteres dixisse «incumbere *illum*,» at in Codice correctum est transpositionis indicio, ut fiat *in illum*.

Tum v. 21 futurum rescribendum est ex emendatione in his: «At qui nimium affectaverit, ipsam illam gratiam veritatis *amittet*.»

Sequitur p. 256 v. 7 item primae manus emendatio, quam perperam Maius omisit: «At si aperias haec, quae verbo uno *clausa* erant, apparebunt.» Victori reddenda est *inclusa*.

Contra compositum pro verbo simplici posuit editor ibid. v. 37: «ut ea, quae supra *ediximus*,» quo sensu *diximus* suum locum obtinet.

Periit copula *et* per scripturae compendium; librarii manus: ?tnquille Maio est «tranquille.» Corrige iam p. 257 v. 37: «Debet ergo *et* tranquille, ut ille medius; debet et subtiliter .... debet et vehementer.»

Saepe accidit in compendiosa scriptura ut diversae unius verbi terminationes iisdem siglis significentur, sed haud scio an recte explicuerit Maius: br̄ per *brevis* v. 18 at *breviter* v. 20 p. 258: «Comma est concisa in singulas partes *brevis* oratio, ut est illud apud M. Tullium: abiit, excessit, evasit, erupit.» Colon vero per membra definitae *breviter* dictiones, ut est apud eundem: quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? quamdiu te iam furor iste tuus eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia?» Quidni legamus *breves?*

Cap. XXIV, pag. 259 v. 25 etiamsi sic quoque in codice exstat coniicio legendum *Marci Tullii* pro *maximi Tullii*, quippe qui fere semper suo praenomine non vero hoc epitheto gaudeat apud Victorem.

Verum non est, quod Maius ad pag. 261 v. 4 adnotat *con-*

sequatur exhibere codicem, nam pluralis numerus recte exstat.

Quod ibid. v. 19 Orellius proposuit dubitanter *protendimus* in his: «Summittimus manus, sive adorantes attollimus, sive aliqua demonstratione aut invocatione *praetendimus*,» hoc inquam Maius dare potuisset, dummodo librarium esset secutus.

Superest, ut vitium tollam in Cap. XXV de exercitatione, pag. 262 v. 1: «Haec, quae supra dicta sunt, et quum natura obvenerint et arte fuerint excogitata, ad plenam tamen *confirmationem* nullo modo posse sine usu perduci.» Non est *confirmationem* verum *confūmationem* verbum ex Quinctiliano notissimum.

Verum haec emendasse sufficiat, non enim mihi in animo erat coniecturas in Iulio Victore proponere, praestat verbo indicasse errores ex compendiosa scriptura natos, aliis libenter huius rhetoris Artem emendandam relinquo, quod quo melius fiat, expromam Lectionis Varietatem, quae addenda est illi, quam in utraque Romana necnon in Orelliana invenies editione. Qua in re ut chartae parcam, rationem nullam habebo discriminis in orthographia, adspirationem dico, *e* cum *ae*, *u* cum *o*, *c* cum *t* permixtas, simplicem *p* in *oportere*, *apellare* constanter obviam; nec interpunctio me morabitur, nec errores in vocabulis Graecis Latine scriptis aut per litteras Romanas, qua in re Maius inconstantiorem se praestitit.

ADDENDA

AD C. IULII VICTORIS LECTIONIS VARIETATEM

EX COD. OTTOBONIANO-VATICANO N°. 5750.

Pag. Or.	Pag. Rom. 1. ed.	Pag. Rom. 2. ed.		Scriptura codicis.
196. 5	3 i.	1 i.	perficiuntur	proficiscuntur
» 18	4 i.	» p. m.	dein	deinde
199. 7	8 m.	4 m.	primitus	promtius
» 20	» f.	» p. m.	quod hic	& hoc
200. 2	9 f.	5 p. i.	potius	prius
201.15	11 f.	6 p. m.	Is quis	Is qui
» 26	12 f.	» f.	si quis	si quis
» 41	13 i.	7 a. m.	somniavit	somniaverit
202.20	» f.		numeratione agitur	s nueratione
		» f.	mensuratione agrorum	agrorum
» 21	»	»	Et modo primo	et modo pro modo
» 22	»	»	fugienda	2. fungenda
» 25	14 i.	»	litis	*Deest.*
» 38	» m.	8 a. m.	ferme etiam	ferme et
203.40	15 f.	9 m.	antithesin	antidesi
204.24	17 m.	10 i.	Nemo	Non enim

Pag. Or.	Pag. Rom. 1. ed.	Pag. Rom. 2. ed.		Scriptura codicis.
205.23	19 p. i.	11 i.	non liceat	ne liceat
206.21	21 p. i.	12 i.	videantur	viderentur
» 28	»	» a. m.	tuentur partem	"tuentur "partem
» 41	» f.	» p. m.	ἰσάζοντα	ecazontas
207. 3	»	» a. f.	quiddam	quaedam
» 11	22 p. i.	» f.	intemptamus	interpraetamur
» 24	» f.	13 p. i.	incesta	incerta
208.10	23 f.	» f.	tres (*corrupt.*)	*Deest.*
» 17	24 p. i.	» i.	incidit	inciderit
» 41	25 i.	14 p. m.	τῷ κρινομένῳ	tocre nom-e
209.38	26 f.	15 p. m.	confirmatio	confirmatrix
210.23	27 f.	16 a. m.	mulieris	*Deest.*
» 27	»	»	quod	quae
» 38	28 m.	» p. m.	divisionem fungentur	divisiõe fugẽtur
212. 3	30 m.	17 f.	Aeschines	et eschines
» 11	»	18 i.	utrum	et utrum
» 15	31 i.	» p. i.	necari an ipsis	necari, an utile iuvenes necari, an ipsis
» 35	»	» p. m.	velut (*pro:* vel)	ult *cum lineola transversa in* l.
213.13	32 f.	19 p. i.	artes, an	artes affectet, an
» 17	»		praestet	1. praebet, 2. praestet.
		» a. m.	praestet (*i. e.* praeponat)	
» 25	33 i.	» m.	locis VI	locis ijf
214.14	34 p. i.	20 p. i.	simul tyrannum	simul ? tyrannum
» 40	35 m.	» f.	an etiam	an et
216.35	38 p. m.	22 f.	subiectum	substantia
217.25	40 i.	23 a. f.	quisque	1. quaeque. 2. quoque.

Pag. Or.	Pag. Rom. 1. ed.	Pag. Rom. 2. ed.		Scriptura codicis.
218. 8	41 i.	24 a. m.	etiam	et
» 25	» p. m.	» a. f.	id est	id est ut
219.11	42 f.	25 m.	quia	quae
221.11	46 m.	27 p. m.	hoc	haec
» 15	»	» a. f.	argumentandi. Sic	argumentandi, sicut
» 22	» f.	» f.	qui circa	qui sunt circa
222.27	48 f.	29 p. i.	prohibere	2. prohiberi
»	»	»	consequatur	consequitur
223. 5	49 m.	» m.	et coniectura	in coniectura
» 12	» f.	» p. m.	ceteris a	ceteris et a
» 15	»	»	qui non	quis nisi
224.20	52 m.	31 p. i.	Cicero (*num* dicendo, *nam compendium mihi est obscurius*)	dix (*id est* dixit)
» 24	»	»	restituaris	restuaris
226. 7	54 m.	32 m.	forensium contentionem	"forensium "contentionem
» 9	» p. m.	»	a ceteris	et ceteris
» 21	55 p. i.	» f.	Opianicum	opiani-cum
» 23	»		de piratis (*in corr.* deportatis)	de piritatis
		»	deportatis (*in cod.* de piratis)	
» 33	» p. m.	33 p. i.	corrupit	corruperit
» 36	55 f.		iureiurando (*in corr.* iuriiur.)	iureiurando
		» a. m.	iuriiurando (*in cod.* iureiur.)	
227. 4	56 m.	» m.	utriusque	utrimque

Pag. Or.	Pag. Rom. 1. ed.	Pag. Rom. 2. ed.		Scriptura codicis.
227.24	57 i.	33 f.	patiatur	2. patietur
229.11	60 i.	35 p. m.	oratoribus	o͂roĩbus
231.36	64 m.	38 a. m.	ergo est	est ergo
232.16	65 p. i.	» f.	et concluseris	concluseris
» 18	»	»	exponere	expone (*id est* expositione)
» 25	» p. m.	39 i.	sola ratiocinatione	sola͂ r͂ocinatione͂
» 33	» f.	» a. m.	iisdem	ꝛisdem (*id est* et isdem)
233.26	67 m.	40 p. i.	exequitur	exequatur
234.33	69 p. m.	41 m.	eliciendo (*ita cod.*)	eliciendis
235.16	70 i.	» f.	adleviatur 1, adlevatur 2.	adlevatur 1, adlevitur 2.
236.38	72 m.	43 a. m.	sicut haec	sicut hoc
237. 6	» f.	» p. m.	Aut cum	aut ut
238.21	75 p. i.	45 i.	premitur (*cod.* praemitur)	p̄mit (*id est* premit)
» 23	»	»	etiam duplices	ꝛ duplices (*id est* et d.)
241.10	79 f.	47 a. f.	divisam	diūsam
242.20	82 i.	49 i.	Ita etiam	Ita enĩ
» 29	» m.	» p. i.	Ac si	ac sic
243.32	84 m.	51 a. m.	Et si	&͂ si (*id est* etiam si)
» 41	» p. m.	» m.	et pro Fonteio	et fonteio
246.16	88 f.	52 f.	Verum enim	Er͂ enĩ (*id est* erunt enim)
» 18	»	»	melior meritis,	melior, meritis
» 26	89 p. i.	53 i.	pars tantum	··pars ··tantum
» 46	» f.	» m.	narrandi aliud	··narrandi aliüd
248.21	92 p. m.	55 i.	apposita	appositus

Pag. Or.	Pag. Rom. 1. ed.	Pag. Rom. 2. ed.		Scriptura codicis.
248.22	92 p. m.	55 i.	primumque	p̄inq; (*id est* perinde que)
» 29	» f.	» a. m.	quantum	quantum quid
» 35	93 i.	» m.	Tullius de Cepasiis	.t. de cepa. Si au (*id est* autem)
» 41	» m.	»	plus	plura
250.14	95 f.	56 f.	nonne hoc	nonne haec
» 24	96 i.	57 i.	conquestionem	conquestioe
» 38	» p. m.	» m.	ad haec (*cod.* et hoc)	et haec
251.12	97 m.	» f.	id cum	id ⸗ cū (*id est* id est cum)
» 16	»	58 i.	apta. Apta	apta. Apta
» 37	98 m.	» m.	vites	vittes
253. 9	100 p. m.	59 f.	conspiciat	cc̄spiciat (*id est* circumspiciat)
» 10	» f.	»	discendo	ediscendo
» 14	»	60 i.	nihil turpius	··nichil | ··turpius
» 22	101 p. i.	» p. i.	quae est ἐπερώτησις	quod persis
254.15	102 p. m.	61 i.	fortasse quod	··fortasse ··quod
» 21	103 i.	» a. m.	defendendum (*terminatio ambigua*)	defendr̄ (*id est* defenditur)
255. 5	104 i.	» f.	modo contra figuras responderi	modo·· | contra figuras responderi
» 17	» p. m.	62 p. i.	non illum	·ī | n̄illu
» 21	»	»	amittit	(*corr.*) amittet
256. 7	105 f.	62 f.	clausa	(*corr.*) inclusa
» 37	107 f.	63 m.	ediximus	diximus
257.37	108 f.	64 m.	tranquille	ta tnquille (*id est* et tranq.)

Pag. Or.	Pag. Rom. 1. ed.	Pag. Rom. 2. ed.	Scriptura codicis.	
258.18	109 p. m.	65 i.	brevis — breviter	br̄ — br̄
» 23	» f.	» p. i.	ut etsi	ut ⸗ si (*id est* ut est si)
260.10	112 f.	66 f.	intelliges	intelligis
261. 4	114 m.	67 f.	consequantur (*cod.* consequatur)	conseqntur (*id est* consequantur)
» 19	115 i.	68 p. i.	praetendimus	protendimus
261.27	» m.		scurrilitatem (*cod. forse* sanctitat.)	scī | tatē (*id est* sanctitatem)
		68 m.	scurrilitatem (*cod. videtur habere* sanctitat.)	
262. 1	116 i.	» a. f.	confirmationem	conſūmationem
264.23 in nota	120 nota c.	71 nota c.	lascivum	lasciviosum
265.23	122 i.	72 p. i.	oratoribus	ōroib;
266. 1	123 i.	» p. m.	scio quosdam	scio quosdam
» 3	»	»	diducere	deducere
» 17	124 i.	73 i.	conveniunt multa	″conveniunt ″multa
» 19	»	»	negocioso (*cod.* negociosa)	2. negocioso
267.15	126 f.	74 i.	addere litteris	ädde̊re l̈itteris

IULIUS PARIS

VALERII MAXIMI ABBREVIATOR.

Publici iuris fecit Angelus Maius (in Scriptorum Veterum Nova Collect. e Vatic. Codic. Romae 1827, in 4°., tom. III, pars 3, pag. 1—115), Epitomas duas operis Valerii Maximi, quarum una a Iulio Paride est conscripta, dum Ianuarius Nepotianus alterius fuit auctor. Dubitavi essetne operae pretium in examen vocare libros Vaticanos, e quibus Maius protraxit hos duos abbreviatores, quoniam Valerii Maximi libri nobis servati sunt. At deficit nunc Valerii opus Lib. I, Cap. 1, § 18 et ext. § 5—8, Cap. 2—4, quibus locis grato animo supplevit novissimus Valerii editor C. Kempfius (Berol. 1854) excerpta a Maio exhibita. Accedit quod passim in iudicium vocatur ab eodem illo editore Paridis Epitoma e codice antiquissimo prolato, dum Valerii codices praeter Bernensem haud ita veteres sunt. Nec licuit Kempfio, dum Romae versabatur, quo tempore Maius adhuc inter vivos erat, adire eos codices, qui hos servarunt Epitomatores. His itaque rationibus motus in bibliotheca Vaticana circumspexi librum, e quo Maius eruerat Paridem; innotuit nempe eius numerus cura O. Iahn, qui eundem evolvens codicem in usum Censorini, Praefat. pag. XVIII, nobis auctor exstiterat Paridis Epitomam exstare in Codice Vaticano Lat. N°. 4229. At mox apparuit, virum doctissimum lapsum esse tum in numero laudando tum in libro describendo, est

enim Codex N°. 4929 membranaceus formae quadratae, foliis 199 binis columnis exaratus; continet autem, nam Iahn partem tantum memorat, haec:

f. 1. Fragmentum de Alphabeto Graeco et Numeris Graecis ab ignorantissimo in folio compactionis conscriptum.

f. 2—26 v. Censorinus de Die Natali, (quem Iahn contulit, sed ita, ut haud pauca mihi reliquerit addenda editioni suae (Berol. 1845), de qua alias dicturus sum, ut appareat accuratius adhuc hunc codicem conspirare cum libro Darmstadiensi antiquissimo).

f. 26 v. — 34. Incertum Fragmentum quod Censorino vulgo subiungitur, apud Iahn p. 73 sqq., (de quo idem dictum esse velim).

f. 35—50. Praecepta Artis Musicae collecta ex libris sex Aurelii Augustini; a Maio edita Script. Vet. tom. III, pars 3, pag. 116—134, quae collata infra corrigam.

f. 50—54. Quatuor Sermones Dominicales, a Maio ibidem pag. 135—144 longe accuratius quam classica opera publici iuris facti, etiamsi a manu recentiore exarati nec ita nitide scripti quam cetera.

f. 55—77. Plauti Aululария futuro editori haud spernenda.

f. 77 v. — 78. Specimina labyrinthi.

f. 79 v. — 146. Iulius Paris, quem accuratius collatum statim proferam passim emendatum.

f. 146—148. Liber Decimus de Praenominibus, qui Valerio Maximo vulgo adscribitur; vide infra Lectionis Varietatem.

f. 148 v. — 188. Pomponius Mela, quem in usum novae editionis A. Parthey examinandum curavit.

f. 188—195. Vibius Sequester geographorum editoribus haud spernendus.

f. 196—199. Series ministerii cuiusdam Arnulfi, ex saeculo XII, pennae probationes, cetera.

Codex est aetate et calligraphia spectabilis, Iahn Maium secutus saeculo decimo eum tribuit, sed haud scio an hoc nimium sit; equidem huius rei peritiorum iudicum sententiae libens

subscribo, quibus saeculum undecimum hic liber sibi vindicare videtur. Tituli librorum necnon rubrica atque paragraphorum initiales ad rusticum quadratum genus illud pertinent, cuius exemplum vide in titulo apud Maium, in tabula tom. III Script. Vet. specimen 2.

Reliqua minutioribus exarata sunt nitidissimis et accuratissimis, ita ut lectori ne speciem difficultatis praebeant; hinc mirandum quod Maius tot errores commiserit, ut mox apparebit. Attamen maiusculae N, R passim occurrunt, et in monogramma quae coaluerunt *nt*, *us*.

Per totum librum obvia est secunda manus itidem satis antiqua, cui infinitum emendationum numerum debemus, ut Collatio docebit, praeterea quod constanter emendavit, ubi in orthographia prima manus peccaverat, de quo statim dicam; et voces male dissectas correxit excepto fortasse hoc unico Lib. I Cap. 3 § 1: «Numa volebat Aegeriae *monitu se quae* acceptissima deis sacra forent, instituere videri,» ubi librarius modo suo dedit: *monitus aeque*, sed non erat cur Maius ab illo discederet scribens *Aegeria* pro usitatissima *Egeria*.

Igitur hunc codicem quum vel vix cum Maii editione conferre instituissem, apparuit doctissimum Italum passim errasse, aut pro lubitu alia dedisse, quam liber exhibet, ita ut doleam Kempfium non potuisse adire egregium librum, nam haud spernenda incrementa nactus esset Valerii apparatus criticus qui dicitur. Imo de nova Epitomatoris editione cogitatio animum subiit, sed aliis hanc provinciam libens concedo, nam Paris talis est auctor, quem tute spernas prae Valerii opere, dummodo istius ratio habeatur in crisi Valeriana.

Quidquid est, lubet nunc Lectionis tantum Varietatem proferre, praemissa quorundam locorum emendatione, qua demonstrem quam grata negligentia Maius hunc Abbreviatorem ediderit, ut sic demum appareat non vanum meum fuisse laborem, et alii videant quatenus constet de lectionis integritate.

In capitulorum Indice editor minus recte bis recedit a codice. Pag. 2 vers. 3 in col. pr.: « Qui obitum liber. tuler. » a linea scripta sunt; male Maius haec subnectit praecedentis capitis titulo « De parentum moderatione,» qua inscriptione gaudere debent in textu Lib. V Cap. 6 § 5—8 (Val. V, 9), a superioribus secernenda quae sunt « De parentum severitate » (Val. V, 8); atqui Lib. V Caput 7 (Val. V, 10) eos contineat: « Qui obitum liberorum forti scil. animo tulerunt,» nam nullum habet parentum moderationis exemplum. Similiter recte separata a praecedenti scripsit librarius pag. 2 vers 21 in col. pr.: « Quae rata manserunt,» nam hoc titulo inscribendae sunt, ut apud Val. VII, 8 § 1—5, Paridis VII Capitis 8 paragraphi 8—10, dum reliquae § 11—15 ex Valerio VII, 8 § 5—9 excerptae sua inscriptione in textu gaudere debent, quae in Indice capitulorum non deest in brevius sic contracta: « Qui contra opinionem heredes.»

LIBER I.

Caput II § 7. Maius dedit « thensaurum Proserpinae,» et recte quidem sic prima manus scripserat *the|nsaurum*, sed nil nos movet, quin secundae manus correctionem accipiamus, quae deletis per lineolas *ns*, addidit suo loco *s*, ita ut *thes|aurum* fiat; quae quum ita sint, improbanda videtur Maii ratio, qui § 8 non tantum contra sanam etymologiam verum vel codice adversante dedit *thensauro.*

Cap. IV § 5. Recte omnino Kempfius emendavit Maii lectionem: « *In sequenti* nocte aedes Vestae arsit,» legendo « *Insequenti*,» nam sic codex quoque locum exhibet, quod Maius alteri praeripere potuisset; Nepotianus habet simplex verbum « sequenti nocte.»

Ibid. § 7. Venio ad aliud errorum genus, nisi negligentiam Maii mavis, quippe qui nullam ob causam in multis locis verborum ordinem transposuerit; in plerisque nil facit ad rem, non obloquor, sed cur quaeso ab optimi codicis scriptura discedas? Imo saepiuscule Valerius vel semel inspectus errorem

redarguit, in aliis numerus contra Maium facit. Ut chartae parcam, verbo attingam seriem locorum in quibus hoc nomine illum peccasse repperi.

Sic absonum est, nisi aures me fallunt, quod hoc loco contra codicem dederat: «duae aquilae ex diversis castris advolaverunt, et edita inter se pugna, ea quae a parte Bruti fuerat, male *fugit mulcata*.» Atqui haec verba transponantur, contra dubitari potest de Lib. II, Cap. 1 § 45, ubi Maius cum Valerio 6 § 7 scripsit: «qui causas exhibuit, propter quas mors *sit illi* expetenda,» codex numerosius, ni fallor, «*illi sit* expet.» Lib. III, Cap. 6 § 4 codex cum Valerio 7 Ext. § 2 consentiens habet: «Antigenidas discipulo suo magni profectus, sed parum feliciter *populo se* adprobanti dixit.» Eodem iure transponenda sunt verba in Lib. IV, Cap. 1 § 4: «populus *tribunos eosdem* in proximum annum creare destinabat,» vide Valerium IV, 1 § 4, necnon ibidem sequenti §: «Fabius cum a patre, avo, maioribusque suis *consulatum saepenumero* gestum videret.» Nec est cur codicem spernamus legentes eodem capite § 13, etiamsi Valerius § 12 locum aliter habeat: «Metellus ut primum *eum audiit* interemptum.» Idem obtinet locum Lib. IV, Cap. 3 § 16, ubi Diogenis illud ad Alexandrum: «velim, *inquit*, *mihi* a sole non obstes» ex codice transponendum est, quamquam Valerius IV, 3 Ext. § 4 nil dirimit. Lib. VI, Cap. 1 § 11 prima manus a priore verbo *caesum* ad alterum delapsa omisit verba *audisset* — *iure*, quae altera manus adscripsit, sed ita, ut pro *compellare ausus fuerat*, ut est apud Valerium VI, 1 § 12, dederit *fuerat ausus*, quod equidem reposuerim, si enim editori concedas ius refingere abbreviatoris textum ut legitur apud Valerium, cur quaeso non inseruit «*de stupro* compellare,» nec *manipulario* rescripsit pro *manipulare?* Similiter capitis sequentis § 14 contra codicem dedit Maius: «Ob quam rem *perducta in arcem*, cum inquit,» Valerio VI, 2 Ext. § 2 non adversante. Contra idem ille VI, 4 Ext. § 2 confirmat codicis lectionem esse reponendam Lib. VI, Cap. 4 § 9 in Socratis dicto ad Ly-

siam, cuius defensionem supplicem nollet recitare, «aufer, inquit, *quaeso istam.*» Quem etiamsi non habemus annuentem VI, 8 § 1, non est cur Lib. VI, Cap. 8 § 1 absonum retineamus ordinem «ipso *promittente fidem* servo.» Maius, contra habet fortasse sibi assentientes, ubi adversante codice dederit Lib. VII, Cap. 2 § 23: «cum utraque res *apud regem accepta* sit,» dummodo hoc adnotasset. Eodem capite § 37 quod dedit: «duos equos constituit, validissimum alterum, *infirmissimum alterum*,» Latinum non est, ni fallor, sed transposita respondent emendatae lectioni codicis Bernensis Valerii VII, 3 § 6. Paridis manus reponenda est cum codice et Valerio VIII, 14 Ext. § 3, in Aristotelis verbis Lib. VIII, Cap. 13 § 9: «planius *de his sibi* in Theodecti libris dictum esse.» Denique transpone duo verba ultima paragraphi ultimae capitis itidem ultimi Libri IX, «cum ille Ariarathes a M. Antonio *occisus esset*,» quamquam Valerius IX, 15 Ext. § 2 rem in medio relinquat. Necnon in Libri X, Valerio vulgo adscripti, § 3 peccavit Maius in verbis: «Ancum praenomen Valerius Antias scribit, quod cubitum vitiosum habuerit, qui Graece *ἀγκὼν* vocatur,» codex enim exhibet «vocatur ANKωN.»

Redeamus ad Librum I, Cap. 5 § 7, ubi Maius negligenter edidit: «cum M. Brutus Graecum versum vellet *exponere*,» nam codex cum Valerio I, 5 § 7 consentiens habet hac in re verbum usitatum *expromere.*

Typothetis errorem tribuerim ibidem § 9, *Priennenses* qui dederunt cum duplici *n* contra codicem, nam modo idem verbum recte posuerant *Prienensibus.*

Genuinam formam Paris servaverat Cap. 6 § 12: «*apium* examinibus signa obscurata Cn. Pompeii,» quam Kempfius recte reddidit Valerio I, 6 § 12; contra Maius et codices deteriores exhibent formam in *um.* Iniuria Maius eodem capite § 15 scripsit: «Xerxes infusum *patera* vinum in sanguinem versum imaginatus est,» codex enim et Valerius I, 6 Ext. § 1 habent *paterae.*

Eiusdem negligentiae habes documentum Cap. 7 § 2:

« P. Decius et T. Manlius Torquatus cos. *idem somnium* viderunt. Accidit, ut Decii Muris cornu pulsum ab hostibus cederet. Tum *somniis* satisfacturus dux pro exercitu se devovit.» Sed quum idem atque unum somnium fuerit, satisfecerit necesse est *somnio*, ut recte scripsit librarius, qui ceteroquin formam in *iis* contrahere solet, ut videre est in editione.

Maio eiusdem capitis § 11 sententia laborare videbatur: « Croesus cum duos filios haberet, *visus est in somnis Atyn filium ferro sibi ereptum.» Igitur supplevit verbum *cernere*, sed opus non est, Paris enim Valerii I, 7 Ext. § 4 verbum *existimavit* per metaphrasin vertit in *visus est* eodem sensu, quo Valerius mox § 7 hoc verbum dederat, et ex illo Paris § 13.

Legitur in codice hoc eodem capite § 14: « Hamilcar per *somnum* exaudisse visus est nunciantem.» At Maius dedit *somnium*, et Kempfius apud Valerium I, 7 § 8 scripsit: « inter *somnium*,» etiamsi codices ACD exhibent *somnum;* hanc lectionem equidem praefero, nam idem per *somnum* intelligo, quod Paris § 5: « somno pressus fratris effigiem vidit» descripsit ex Valerio § 6, atque § 6 dedit: « somno pressus existimavit ad se venire» pro Valerii § 7: « cum sollicitudinibus et curis mente sopita in lectulo iaceret, existimavit ad se venire;» sic Paris § 7: « in quiete retiari se manu confodi vidit,» ubi Valerius § 8 « inter quietem;» uterque § 9, Ext. § 2: « per quietem visa imagine praemonitus.» Quae quum ita sint miror Kempfium pravam praetulisse lectionem codicis B., quippe cuius auctoritate recte spreta § 5, ex ceteris libris dedit « Cicero animo in *somnum* profuso.» Denique codices secuti expungemus utramque otiosam *i*, et sic Paris sibi constabit, et Valerii manus: « inter *somnum* » respondebit Ext. § 6: « inter quietem.»

Transeamus ad § 16, qui primus est locus ex longa serie, de qua nunc dicendum est, volo Maium passim ita descripsisse Paridis codicem, ut unam vocem retineret, qua non ubique vel abbreviator carere potest, cui iuvat reddere quae male omiserat editor. Sic legendum est nostro loco: « Tunc idem

saucius oborsus petiit, *ut* saltem mortis suae ultor existeret.» Capitis sequentis § 7 restituo obiectum: «cum consul inter honorandos milites vallarem coronam proponeret, nemo fuit qui *eam* sibi vindicaret.» Eadem ratione, quam adfirmat Valerius II, 7 § 12, fugax praepositio revocanda est Lib. II, Cap. 2 § 13: «gravius in Romanos quam *in* Latinos transfugas animadvertit.» Eodem consentiente ibid. 10 Ext. § 1 reddendum est pronomen Paridi Cap. 5 § 9: «Harmodii et Aristogitonis effigies aeneas Xerxes in regnum *suum* transtulit.» Ex codice et Valerio III, 2 § 5 reddo Paridi, quae Maius omisit Lib. III Cap. 2 § 5: «M. Marcellus Gallorum regem obtruncatum armis exuit, *eaque Iovi Feretrio dedicavit.*» Nec est cur cum Maio particulam epitomatori detrahamus eiusd. Cap. § 26: «Darius cum sordida et crudeli magorum tyrannide Persas liberaret, unum ex eis abiectum corporis sui pondere urgens, *ut* vidit commilitonem, tu vero, inquit.» Tum pessumdedit sententiam omissum verbum in his Lib. IV, Cap. 1 § 23: «Piscatores Mitylenaei in everriculo ductam auream mensam consulto Apolline cum iussi essent dare eam sapienti, *dederunt* Thaleti, ille cessit eam Bianti;» cf. Valer. IV, 1 Ext. § 7. Nec editoris munere rite functus est Maius epitomatoris locum Cap. 3 § 1 ita mutilando, ut nobis addendum reliquerit excerptum e Valerii IV, 3 § 1 verbis: «Scipio puellam nobilem sponso inviolatam tradidit *auro etiam, quod pro redemptione puellae acceperat, summae dotis adiecto; qua abstinentia animos Celtiberorum obligavit.*» Negligentius haec omisit Maius, nam hic non potest afferre causam, ob quam novas Phaedri Fabulas primus ita integriores ediderit, Auct. Class. III, p. 281, ut fabulae X et XV partem «argumenti sui causa libenter praetermiserit» vir religiosus; sunt illae «adversus mulieres.» Titulus, quem Torrenius Valerio IV, 4 § 9 addendum censuerat, legitur apud Paridem etiamsi a Maio omissus, Cap. 4 § 8: «Eadem gens nullum ante scripulum auri habuit, quam Paulus, Perse *rege* victo, Q. Aelio Tuberoni quinque libras auri dimitteret;» atqui utrique auctori reddatur

ex usu solemni Romanorum. Hoc eodem Lib. IV, Cap. 8 § 5 omissa una litterula periit totum vocabulum quod abesse nequit, Hiero enim Romanis non «CCC milia tritici misit,» verum «$\overline{\text{CCC}}$ $\overset{o}{\text{m}}$.» id est «CCC milia *modium*,» ut ordine habet Valer. IV, 8 Ext. § 1. Iulius noster etiamsi abbreviator Valerium V, 9 § 4 ad verbum fere descripserat, non ut Maio placebat, Lib. V, 6 § 8 «in locum desertum filio perducto, gladium quem *adtulerat secum* tradidit;» imo *occultum secum adtulerat*. Idem locum obtinuit Lib. VI, 8 § 4, ubi cum Valerio VI, 8 § 4 dedit: «Pindarus C. Cassium Philippensi proelio victum, nuper ab eo manumissus, iussu ipsius obtruncatum insultationi *hostium* subtraxit.» Nec aliter scribere potuit Paris Lib. VII, Cap. 2 § 18 quam Valerius VII, 2 Ext. § 4: «Plato *tum* demum beatum orbem futurum praedicabat, cum aut sapientes regnare, aut reges sapere coepissent.» Potest quidem abesse eadem particula capitis sequentis § 6, sed non est cur librario adversemur sic scribenti: «Anicula Athenis pecuniam depositi nomine a duobus hospitibus accepit. Quorum alter tamquam mortuo socio omnes nummos accepit. Supervenit deinde alter, ac depositum expetere coepit. *Tum* aniculae haerenti opportune Demosthenes patronus adfuit.» Negligentiae item editoris tribuo omissam coniunctionem capite 2 § 23: «ut cum eo *aut* rarissime aut dulcissime loqueretur,» quamquam in cod. A. apud Valerium VII, 2 Ext. § 11 a prima manu video omissam *aut rarissime*. Accuratius adhuc cum historia et Valerio VII, 6 § 4 conspirabit Paris, si cum codice illi reddideris Lib. VII, Cap. 7 § 3: «C. Mario Cn. Carbone *consulibus* cum Sylla dissidentibus cet.» Contra summo iure Maius expunxit pronomen alienissimum Lib. VIII, Cap. 6 § 1: «C. Licinius a praetore *suo* postulavit uti (lege cum codice et Valerio VIII, 6 § 1 *ut*) patri suo bonis, tamquam ea dissipanti, interdiceretur.» Verum carpendus est, quod sequentis Capitis § 10 vocabulum omiserit, ex Valerio VIII, 7 Ext. § 2 rite descriptum: «Plato Aegyptum peragravit. A sacerdotibus eius *gentis* geometriae multiplices numeros et cae-

lestium observationum rationem percepit.» Nec facile absolvi potest editor quatuor vocabula Paridi subfuratus Cap. 11 § 3 in loco de pictore, qui equi naribus spumas ut adiiceret frustra moraretur, tum «ira accensus spongiam omnibus inbutam coloribus *forte iuxta se positam* adprendit, et veluti corrupturus opus suum, tabulae inmisit. Fortuna ad ipsas equi nares directam, desiderium pictoris coegit explere.» Haec eadem leguntur apud Valer. VIII, 11 Ext. § 7. Simili ratione reddendum est vocabulum abbreviatori Lib. IX, Cap. 1 § 9, quippe qui ex Valerio IX, 1 Ext. § 1 dedisset «invictum *armis* Hannibalem ad somnum deliciarum resolutum esse.» Hoc eodem capite § 11 ridiculum quid exhibuit Maius, ut facile apparebit, quum omissa suppleverim ex codice, quae item apud Valerium IX, 1 Ext. 4 leguntur: «Antiochum Syriae regem imitatus in luxuria exercitus argentea vasa *ad usum culinae comparavit et tabernacula* textilibus sigillis adornavit.» Nec opus est, ut cum Maio detrahamus epitomatori dictum Tomyris etiamsi crudelius Cap. 10 § 3, quae «caput Cyri in utrem humano sanguine repletum dimitti iussit, *exprobrans ei insatiabilem cruorem;*» vide Valer. IX, 10 Ext. § 1. Capite 12, quod De mortibus non vulgaribus inscribitur, § 4 gaudeat in posterum Iuventius suo praenomine *M.*, cf. Valer. IX, 12 § 3. Denique huic omissorum seriei finis imponatur inserendo Cap. 14 § 2 in loco Dionysii «atque *etiam* cubicularem lectum lata fossa cinxit,» ut legitur in codice et Val. IX, 13 Ext. § 4.

Redeamus ad collationem, cuius ope ex ordine emendari potest Paris noster Lib. II, Cap. 1 § 30, ubi notandus numerus annorum «DLVIIII, per quos senatus populo mixtus spectavit.» Valerius enim habet «quingentos et quinquaginta octo,» quocum respondet primae manus scriptura: ↃLVIII. Similiter cum Valerio VIII, 13 Ext. § 5 conspirat Paris VIII, 12 § 13, dummodo per editorem licuisset pro *CLXVIII* genuinam codicis scripturam legere *CLVII*, id est «septem et quinquaginta et centum annos vixisse Epimenidem Cnosium,» ut est apud Valerium.

Contra adiicienda est *i* § 33 eiusd. Cap., Latinum enim est «*Gladiatorium* munus,» quod habet codex et Valer. II, 4 § 7. Sed aliud quoque huius paragraphi collatione edoctus sum; quod enim Kempfius suadente Gronovio addidit Valerio ex auctoritate unius libri antiquissimi «munus dederunt M. et Decimus filii Bruti *Perae* funebri memoria patris cineres honorando,» apud Paridem quoque inveni, etiamsi illud agnomen *perae* lineola cinxerit codicis corrector.

Modo vidimus plurimis locis Maium unum vocabulum vel plura omisisse, quod etiamsi notandum ignosci potest, contra haud aequo animo ferendum videtur, quod doctissimus editor totas omiserit paragraphos, quae quantocius Paridi reddendae sunt. Sunt autem hae: Libro II, Cap. 2 post § 13 de Scipione Africano omisit turpe factum Scipionis Numantini ex Valerio II, 7 § 13 sic excerptum: «*Scipio Numantinus capta Carthagine, exterarum gentium transfugas, in edendis populo spectaculis, bestiis obiecit.*» Libro VI, Cap. 3 post § 6 Maius sibi retinuit Romanae severitatis severum exemplum ex Valerio VI, 3 § 3 ult. sic abbreviatum: «*C. Vettienum senatus, quod digitos sibi sinistrae manus, ne bello Italico militaret, absciderat, vinculis aeternis damnavit.*» Nec me adversantem habebit is, qui hoc duce inserendum Valerio censeat: «*sibi si*nistrae manus digitos absciderat,» quod Pighius in uno codice inventum non improbavit. Denique Libro VIII, Cap. 10 post § 5 hoc magnum artium effectus documentum ex Valer. VIII, 11 Ext. 4 his verbis excerptum: «*Equus pictura equae pictae motus adhinniit;*» in quo loco non valet Maii religiosi ista defensio, nam iisdem istis censoribus § 6 et 7 damnandae essent.

Quibus itaque Paridis verbis publici iuris factis redeamus ad sanandum Librum II, ubi Cap. 2 § 15 impegit Maius in his verbis: «L. Marcius de rebus actis a se scribens, in hunc modum *usus* est: L. Marcius pro praetore.» At codex et Valer. II, 7 § 15 recte omnino: «*orsus* est,» nam agitur de his quatuor verbis tantum.

Typothetis forte, atque editionis correctori tribuerim Cap. 3 § 1: «Ob levia proelia quidam *imperatoris* triumphos sibi decerni postulabant» pro *imperatores*, cf. Valer. II, 8 § 1.

Constat ex historia Philippum esse victum a T. Quinctio Flaminino, cuius fratrem Lucium quum Valerius II, 9 § 3 tradat a Catone senatu esse motum, summo iure editores vel contra consentientem codicum lectionem dixerunt illum L. Fla*mininum;* at Paris Lib. II, Cap. 4 § 3 verum servavit nomen, contra Maio placuit, qui epitomatori erroneam formam Flami*nium* obtrudit. De proposito sprevit genuinam formam, nam Lib. IV, Cap. 8 § 4 Philippi victor ab eo appellatur: «T. Quin*tus* Flam*inius*,» etiamsi codex recte omnino bis habet «T. Quin*tius* Flami*ninus*,» ut ex emendatis libris legitur apud Val. IV, 8 § 5. Denique Lib. V, Cap. 2 § 6 veram codicis lectionem Flami*ninum* Maius abiecit deditque Flami*nium* contra Val. V, 2 § 6, et historiam; qua in re certissima si opus est adhuc testibus, consule Fastos Capitolinos, quibus item se defendere potest editor, quod Lib. VI, Cap. 6 § 3 recte contra codicem dederit *Flaminio*, vide Val. VI, 6 § 3.

His tribus locis emendatis pergamus in Libro III, Cap. 2 § 12 levi errore liberando, qui codicis correctorem editoremque lusit: «Scipio Metellus infeliciter Cn. *Pompeio* generi sui defensis partibus, gladio se traiecit.» Codex enim et Val. III, 2 § 13 habent: *Pompei.*

Eodem capite § 25 Paris conspirat cum Valerio § 24 in numeris spoliorum, vulnerum, coronarumque, quibus L. Siccius, vel Sentius, Dentatus ornatus fuerit, praeterquam quod apud Iulium legitur «*VIII* triumphales currus secutus,» dum Valerius scribit *novem*, atqui non spernenda est nota marginalis «*VIIII* tri.»

De suo dedit Maius eod. Libro Cap. 5 § 5 formam compositam in loco L. Scipionis, cuius «statua chlamydata et crepidata in Capitolio posita est, quo habitu usus aliquando, ita se *conformari* voluit.» Valerius III, 6 § 2 dederat: «quo habitu effigiem suam */ormatam* poni voluit;» et Paris */ormari.*

Ultimo huius Libri cap. § 8 legimus in editione: «Lectis epistolis, ut caveret sibi a Philippo corrupto a rege Dario, Alexander ut primum petit potionem, legendas *ipsas* Philippo tradidit.» At in codice, nec vitiose opinor «legendas *eas* Philippo tradidit.»

Libro IV Cap. 1 duobus locis occurrit secundae manus annotatio in margine, quam eidem illi tribuo, cui in Libro IX plura debemus supplementa ex Valerio nempe petita a benevolo lectore, cui abbreviator parciora dedisse videbatur; est § 8, ubi ad verbum erroneum «Africano et *Gnaeo* Scipionibus» glossema apparet *Asiatico*, quod Valerius IV, 1 § 8 habet, quemadmodum ex Valerio opinor ibid. § 11 hausit *Q.* pro «*M.* Scaevola» § 12 eodem nostro capite.

Ad Lib. IV, Cap. 4 § 11: «M. Scauro a patre hereditas sex servorum reversa est et XXX nummorum,» adnotat Maius in codice lineam superductam, ut intelligatur *milium;* recte, nec aliter habet Valer. IV, 4 § 11. Verum passim iam in superioribus similis lineola numero superaddita a secunda manu erasa est; valet enim in hoc codice, quod alibi quoque occurrit, lineola non semper *milium*, saepius numerum tantum indicari; sic Lib. IV, Cap. 8 § 5, Lib. V, Cap. 3 § 14, Lib. VIII, Cap. 2 § 2 et IX, Cap. 6 § 1 verbum *milia* recte scripsit editor pro lineola numero supraducta, etiamsi in ultimo illo variant auctores. Verum Lib. VII, Cap. 6 § 1 numero XXIIII linea superaddita est, etiamsi verbum *milia* adscriptum fuit, quae recte igitur sperni potest, quemadmodum Cap. 7 § 2 lineola supra CCC, quae trecentos illos Praenestinos ad millenum numerum non debet evehere, cf. Val. VII, 6 § 3. Eadem res est Lib. IX, Cap. 2 § 1, ubi codex habet: IIII dcc, quarum altera lineola abundat, vide Val. IX, 2 § 1. Contra perperam corrector expunxerat lineolam ibid. § 13, nam LXXX *milia* Romanorum Mithridatis iussu occisa esse constat, cf. Val. IX, 2 Ext. § 3.

Redeamus ad Librum, unde digressi sumus IV, Cap. 5 § 1 typothetarum errore liberantes expungendo otiosam *b* in verbo *substinuit*. Paragrapho sequenti sublata littera *s* dativus rescri-

bendus est in his: «L. Flaminius coactus est a populo transire in locum *dignitati* suae debitum.» Cf. Val. IV, 5 § 1, quo duce etiamsi contra codicem corrigo *Flamininus*.

Sunt haec minora vel sine codice emendanda, contra incerta res quibusdam videretur in scriptore, qualis est epitomator noster, ibid. § 4: «C. Cicereus, ut vidit se *contrariorum* suffragio praeferri Scipioni, abiecta candida toga suffragatorem eius agere coepit,» nisi vidissem Paridem dedisse «*comitiorum* suffragio» pro Valerii IV, 5 § 3 «omnibus centuriis.»

Male a codice discedit editor Lib. IV, Cap. 6 § 8 scribendo *Myniae*, nam vera forma *Minyae* non latebat, nec in Valerio IV, 6 Ext. § 3.

Numerus captivorum Carthaginiensium in § 1 Cap. 1 Lib. V non conspirat cum Valerio V, 1 § 1 «duum milium et septingentorum quadraginta *trium*,» verum aliter quam Maius dedit: ∞ ɔɔDCCXLV, nam codex habet: ∞ ɔɔdCCXLII.

Bis in eodem vocabulo lapsus est Maius, nam hoc eodem Cap. § 12 dedit «*pauci* temporis momento,» ubi codex habet *parvi*, cf. Val. V, 1 § 8, et Lib. VIII, Cap. 6 § 1 «*pauco* post tempore,» etiamsi Valerius et liber ms. *parvo* exhibent.

Sequitur leve mendum Cap. 3 § 2, ubi acutissimos editoris oculos elusit codicis scriptura etiamsi valde perspicua, non enim exstat: «Camillus *ab* Apuleio tr. pl. accusatus,» verum *a·l·* id est *a Lucio* Apuleio; vide idem praenomen integrum apud Valerium V, 3 § 2.

Paridis codex, ut supra iam monui, a secunda manu ita correctus est, ut singulae fere paragraphi rite emendatae nunc legi possint, sed exceptio non deest, nam male eiusd. Cap. § 7 correxit praesens tempus, ubi primae manus requiritur perfectum: «Ahala post Sp. Maelii mortem, quem ipse occiderat regnum adfectantem, custodita libertate civium, exilio suo poenas *pependit*,» cf. Valer. V, 3 § 2, quod Maius spernere non debuerat.

Contra codicem exhibuit doctissimus editor Cap. 4 § 3: «L. Manlio Torquato diem ad populum Pomponius tr. pl.

dixerat, quod filium militiae aptum rustico opere *gravaret.*» Quidni legamus *gravaretur?* Nam hoc verbum tamquam deponens saepe adhibebant veteres.

Ultima § huius Capitis Maius eadem chorda, qua librarii solent, aberravit: «Cum inter Carthaginem et Cyrenas de agri modo pertinacissima contentio esset, placuit utrimque eodem tempore iuvenes ad locum mitti. *Hoc pacto* duo fratres Carthaginiensium Phileni perfidia praecucurrerunt.» Non enim ablativo propter illud *hoc* sed accusativo opus est, quem codex et Val. V, 6 Ext. § 4 exhibent, *pactum.*

A typothetis petenda est *a* Cap. 6 § 6 de Hortensii filio «*male* famae,» et littera *n* § 8 in loco patris, qui «uxorem iureiurando *obstrixit*,» quae male abundat in fine eiusdem paragraphi, non enim «ille pater quum gladium filio tradidit ac iugulum feriendum praebuit, *monuit* haec res iuvenem,» sed *movit* opinor, ut Paris uno verbo dedit pro Valerii V, 9 § 4: «Quo facto non paulatim sed magno impetu recta cogitatio pectus iuvenis occupavit.»

Contra grammaticam peccavit Maius codicis lectionem spernens Cap. 7 § 1: «Horatius Pulvillus cum in Capitolio Iovi Optimo Maximo aedem dedicaret, interque nuncupationem sollemnem verborum mortuum filium suum *audiret*, tolle, inquit, cadaver.» Paris autem Valerium V, 10 § 1 describens dedit *audisset.*

Libro VI, Cap. 3 § 9 vitium irrepsit apud librarios frequens, sed a quo editor cavere debet, atqui pro «Senatus consulibus mandavit de his, qui sacris *bacchanalibus* inceste usi fuerant, inquirerent,» ex codice reponendus est genitivus *bacchanalium*, ut est apud Val. VI, 3 § 7, qui ex Livio tradit de mulieribus consules inquisivisse easque damnatas esse, dum apud Paridem legimus partem P. R. esse punitam et de his, qui inceste usi fuerant illis sacris, quaestionem esse habitam, quae historica differentia abbreviatori non librario tribuatur.

Contra grammaticae regulam Maius induxit Socratem loquentem Cap. 4 § 9, quum Lysiae defensionem recusaret hoc gra-

viter dicto: «si adduci possem, ut ea in ultima Scythia perorarem, tum me *ipsum* morte multandum concederem.» Dixit *ipse*, ut codex habet et Val. VI, 4 Ext. § 2.

Levius est, quod exhibuit Cap. 5 § 3 *huiusmodi*, ubi codex praebet *eiusmodi* et Valerius VI, 5 § 1 *huius generis*.

Supra vidimus Romanum editorem impegisse passim unum vel plura vocabula omittendo, hoc eodem Cap. § 5 de suo addidit verbum otiosum omnino et prae ceteris ab ingenio epitomatoris alienum. «Cum Ti. Gracchus et L. Claudius ob nimis severe gestam *Romae* censuram accusarentur;» recte abest in codice imo apud Val. VI, 5 § 3 loci indicatio.

Perperam Maius explicuit notam Lib. VII, Cap. 2 § 33 in loco de vacca, quam dominus «in Aventino ante *aras* Dianae constituit,» nam librarius recte dederat *arā*, id est *aram* ex Val. VII, 3 § 1.

Conspirat Valerius VII, 3 § 6 cum codice eod. Cap. § 37: «Sertorius validi equi caudam ab inbecillo sene paulatim carpi, infirmi ab iuvene eximiarum virium universam convelli iussit. Obtemperatum imperio est. Sed dum adulescentis dextera irrito se *fatigat* labore, senior ministerium exsecutus est.» At Maius dedit *fatigabat*.

In quibusdam libris manuscriptis litteras *r* et *s* ea forma exaratas esse, ut facile misceantur a lectore, notum est, sed non cadit hoc in nostrum codicem, atqui non habet editor quo se defendat exhibens Libro VII, Cap. 4 § 1: «Tullius Hostilius, cum Metium Fufetium ipsam aciem deserentem videret, omnes (adde ex Val. VII, 4 § 1. *globos* vel tale quid) percucurrit, suo iussu dicens *recessisse* eum.» Rescribendum est *Tullus* et *secessisse*, ut Valerius quoque habet.

Eodem redit ibid. § 3: «*quam* pluribus locis» ac codicis et Valerii scriptura «*conpluribus* locis,» quod recipiendum videtur.

Vellem typothetae tribuere absurdum errorem hoc eodem Cap. § 7: «postremo CCCC equites subornavit, qui destrictis gladiis poplites pugnantium Romanorum *caeciderunt*.» Codex autem et

Val. VII, 4 Ext. § 2 genuinum habent *ceciderunt;* obversabatur fortasse adhuc Maii animo forma ista *caecidit* ex Ciceronis de Re Publica II § 18; at ibi vel stupidissimus iste librarius errorem correxit punctum litterae *a* superaddendo.

Difficile dictu est quid sibi voluerit Maius contra antiquitatem de suo inserens Lib. VII, Cap. 6 § 1: «ea de re *patribus* per trib. pl. ad populum lata rogatione,» quod absurdissimum additamentum nullo negotio tolli debet, propter codicem et Val. VII, 6 § 1 antequam nova crux antiquitatis Romanae studiosis existat.

Sequentis Capitis § 2 *duo* continet exempla, Casilinatum nempe quod est Valerii VII, 6 § 2 et Praenestinorum quod sequitur ibid. § 3, nec aliter dedit librarius verba: «In illa obsid.» a linea scribendo; nec est igitur cur ab illa sana ratione discedamus. Contra recte omnino Maius sprevit librarii auctoritatem perperam novam incipientis paragraphum I, 5 § 7: *Eo autem die*, et V, 4 § 19: *Hoc pacto;* necnon contemni poterat, quod librarius perperam has paragraphos praecedentibus subnexas descripserit: I, 2 § 2, 4 § 1, II, 1 § 32, 3 § 1, V, 2 § 4, 3 § 15, VII, 2 § 1 quod statim correxit, VIII, 7 § 23, IX, 7 superiori capiti adnexum, IX, 15 § 7 item postea correctum; denique Libri IX, Cap. 15 § 3 et 4 uno tenore scriptae sunt, verum alia ratio placuit ei, qui rubricas adscripsit, vide Valerium IX, 14 § 3 et 4.

Ridiculus error irrepsit in Lib. VIII, Cap. 1 § 4, App. Claudii iudicium dilatum esse «beneficio subito *certi* imbris.» At codex cum Val. VIII, 1 § 4 habet unice verum *coorti*.

Lineola Maii oculos fugiens ex accusativo fecit ablativum in Lib. VIII, Cap. 7 § 6, ubi codex habet: «C. Crassus cum in *Asiā* ad Aristonicum regem debellandum venisset,» atqui *Asiam* legatur, vide Valer. VIII, 7 § 6. Eodem mendo liberanda est § 4 Cap. 6 Lib. seq.: «Hannibal Nucerinos *urbē* egressos vapore et fumo balineorum strangulavit,» id est *urbem;* inspice Valer. IX, 6 Ext. § 2.

Non exhibetur in libro nostro Cap. 9 § 2: «Missi a Cinna

et Mario milites ad M. Antonium occidendum, sermone eius obstupefacti, destrictos iam gladios continuerunt, quibus *degressis* P. Annius ministerium peregit,» verum *digressis*, ut apud Valerium VIII, 9 § 2 emendati codices. Est autem in littera *e* cum *i* permiscenda librarius noster longe diligentior quam alter ille palempsesti Tulliani; de forma *Dareus* III, 2 § 26 disputari potest, tum bene correctum est III, 3 § 1 *Porsena* pro *i*, atque praeter locos, quos vide in Collatione, hic notasse sufficiat V, 4 § 7, ubi Maius dedit «per medios *ignis*,» etiamsi in codice recte legitur *ignes*. Lapsus est denique in iisdem litteris corrector scribendo *i*, ubi VIII, 9 § 4 prima manus dederat: «Pericles in tantum enituit eloquentia ut, cum a quodam sene in contione auditus esset, non dissimilis hic diceret, *Athenienses*, Pisistrati.»

Male irrepere passus est editor litteram *u* Lib. IX, Cap. 1 § 7: «Gemellus tribunicius viator flagitiosum convivium consulibus ac tribunis plebis conparavit, lupanari *domui* suae instituto.» Lege *domi* ut apud Val. IX, 1 § 8.

Capite seq. § 14 codex cum Valerio IX, 2 Ext. § 4 conspirat in scriptura *Diogyridis*, de quo Thraciae regis nomine disputatur, sed non erat cur cum *rr* scriberetur.

Notari potest secunda manus quod adscripsit *deliciasque evocaret* IX, 1 § 9 ad Paridis verba «Campana luxuria tanta fuit, ut invictum armis Hannibalem ad somnum *deliciarum resolveret*,» attamen nondum audeo ista Paridi reddere, nam respondent quidem accuratius Valerio IX, 1 Ext. § 1, verum hanc ipsam ob causam illa non ex eo excerpta sed ex integro Valerii codice crediderim descripta a lectore, cui libuit passim in hoc libro IX supplere abbreviatoris verba. Sedulo Maius sprevit ista additamenta, quae in Collatione invenies notata, praeter quam quod duo verba in textum receperit Cap. 3 § 2, quae epitomator vix potuit supprimere: «C. Figulus consulatum non adeptus, cum ad eum consulendi causa multi venissent, *omnes dimisit* sic praefatus: an vos consulere scitis, consulem facere nescitis?» Contra deesse potest verbum in per-

fidiae exemplo 2 Cap. 6: «Cn. Domitius iratus Bituito regi Arvernorum, per conloquii simulationem arcessitum hospitioque exceptum vinxit ac Romam [*nave*] deportandum curavit.» Nec fidem praestitit editor se omnes istas interpolationes praemissurum pollicitus, pag. 80, quod Cap. 7 § 3 receperit interpolatoris: «Sempronium Asellionem creditores, quod causam debitorum susceperat, pro aede Concordiae sacrificantem [*ab ipsis aris fugere coactum*], in tabernula quam petierat [*latitantem*], discerpserunt.» Prima manus pro istis Valerii scripserat unum Paridis verbum *fuga*, nec dederat participium, quo carere possumus in epitoma. Recte omnino Maius spernenda contendebat supplementa istius hominis, qui male seduli interpolatoris munere dum fungebatur, ad § 6 Cap. 7 adscripsit: «tantumque scelus curia castris se cedere confessa, inultum habuit;» at sunt ista ex praecedenti § Valerii i. e. IX, 7 § 2. At non constitit sibi in textum recipiens eiusdem additamentum in Cap. 11 § 2: «C. Fimbria interrogatus quod Scaevolae crimen obiecturus esset innocenti, [*cui pro securitate morum digna satis laudatio reddi non posset*], hoc ipsum, inquit, quod parcius corpore telum recepit;» abbreviatori otiosa ista videbantur, cui nolite ea obtrudere.

Certarunt editores conscenderitne in Maenianum C. Licinius Macer repetundarum reus, «dum sententiae *diriberentur*,» ut rescribendum iam olim iusserunt apud Valer. IX, 12 § 7, an *dicerentur*, ut alii codices habent et Paridis secunda manus Cap. 12 § 7. Ex Wunderi accurata disputatione prodiit, ni fallor, vera *diribendi* significatio, saepius cum tabellas *dirimendi* notione permutata; recte Kempfius veram scripturam exhibuit ex codice A. *diriverentur*, nec est cur Iulio non eandem reddemus, nam corrector ita mutavit *di...cerentur*, ut primae manus agnoscatur *diriuerentur*. Exemplum quo *sententiae* diriberi dicuntur pro tabellis, analogum est apud Iustin. XXII. 3: «sententias, priusquam recitarentur, in urnam coniectas obsignari iusserunt;» nec obstat Plutarchus de eadem re scribens vit. Cicer. 9 τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων. Atta-

men valde miror Kempfium subscripsisse Drumanno III, 195: «de voluntaria C. Licinii morte dubitanti, cum et Cicero ad Att. I, 4 § 2 et Plutarchus *post* damnationem eum mortuum esse tradiderint.» At nodum in scirpo quaerunt, nam poenam morte dum praecurrebat Macer, sententiae diribebantur, atqui damnabatur omnium suffragiis ipso mortis momento, sed Cicero de eius damnatione nihil pronuntiavit, ne bona illius hastae subiicerentur, facto autem damnaverant eum iudices, et Tullius optime scribere potuit «damnato Macro,» etiamsi damnationi deesset pronuntiatio praetoris.

Maius dedit hoc eod. Cap. § 14: «Milo Crotoniates quercum cuneis adactam divellere conatus, excussit cuneos. *Manibus oppressis* a feris laceratus est,» dum codex praebet hanc interpunctionem «excussit cuneos *manibus*, *oppressus* a feris laceratus est.» Sed haud scio an haec lectio epitomatori recte abiudicetur, si enim ad Valerii uberiorem scripturam IX, 12 Ext. § 9 Paridem refingere licet, quidni reponamus *conpressis*, quod locus requirit, ut Gellius de eadem re scripsit XV, 16 «manibus retentis inclusisque.»

Ex hac laeta emendationum segete luce clarius apparuit, ni fallor, haud vanum meum fuisse laborem, codicem tam eximium et emendatum denuo in examen vocantis. Imo illius lectionis varietate adeo contentus fui, ut eiusdem Paridis alterum codicem in bibl. Vatic. N°. 3337 mihi praebitum non libuerit conferre; est enim iste liber scriptura longe recentiore nec vero emendatiore saeculi decimi quinti, membranaceus in octavo, ut initiales auro coloribusque ornatissimae docent, manu negligentiore in eius bibliothecae usum conscriptus, cuius stemma triangulis rubris aureisque constans etiamsi postea evanidum factum in titulo apparet. Si iam Maio libuisset adire Vaticanae bibliothecae Indicem, ad quem nobis *Barbaris*, ut in illo (ridicula quadam iactantia, Romanis antiquis quae est indigna vanitas, hodiernis vero indignior impudentia), exteri elegantius

notari solemus, aditus non datur, sed qui Bibliothecae Praefecto patebat, si iam Maio, inquam, libuisset evolvere Indicis Vaticani partem Latinam, mox invenisset Pighium hausisse Libri IX Praefationem illam, quae abest in codice nostro, ex altero illo Paridis libro manuscripto integro, qui fuit Fulvii Ursini; unde Praefationis lectionem infra proferam. Idem ille Kempfium latuisse videtur, etiamsi Valerium quoque continet cum Libro illo de praenominibus, cuius haec subscriptio notari potest f°. 213 v. «Finis Valerii Maximi liber .... decimus et ultimus finit. Qui liber per Iulium Paridem eiusdem Valerii abreviatore abreviatus est. Laus sit deo. Amen.»

Superest ut moneam de Collatione, quam accuratissimam confectam hic vero breviorem exhibeo; persuasum enim mihi est nostrum esse chartae parcere in adnotanda lectionis varietate auctoris, qualis est Iulius Paris. Tum improbo Maii summam inconstantiam in loco de orthographia, in qua emendanda altera manus bene meruit, cuius correctionem promiscue cum primae manus erroribus in textum sine ulla regula recepit. Libuit, ut quibusdam mos geratur, in Collationem referre quidquid secunda manus correxit, cui tributa velim omnia, quae non a prima manu video esse emendata; quae quum Maius receperit, operae pretium duxi primae manus scripturam notare, quo melius de correctore iudicetur; numero, quem lectioni adscripsi, facile distinguitur. Sedulo contra silentio pressi quae in orthographia peccata illi viderentur, ne in immensum Collatio cresceret, sufficit enim verbo ista omnia hic notasse.

Cui quaeso inserviret longissima locorum series, ubi Maius sigla ita explicuerit, ut modo *populum Romanum*, *rei publicae*, *tribunos plebis*, *consulem*, *consularem*, *consulatum*, cetera scriberet, modo easdem voces per primas tantum litteras significaret, sed ratione a librario diversa aut aliter punctis adscriptis. Convenit istius negligentiae notatio in censura Maii operum, nam editor in talibus librariorum inconstantia se praestare debet, et omnia explicata typis dare, contra in collatione non veniunt in censum, nisi quod Maius V, 4 § 8

contra usum librarii dederit *vexere* pro codicis *vexer̄*, nam forma in *unt* constans illi est, atque passim hanc ob causam reponenda. Carere possumus locorum notatione, ubi librarius in nominibus propriis miscuit *ae* et *e*, contra analogiam, quam Maius recte in his secutus est et in aliis, ubi librario placebat constanter *cerimoniae* et *cena* scribere. Simili modo sufficit verbo certum usum notasse, ex quo ubique fere *p* suprascripta est litterae *b* in verbis *scribsi*, *scribtum*, *labsum*, *nubta*, eorumque compositis et in aliis cum praepositione *ob* coniunctis; editor grata inconstantia utriusque formae dedit exempla. Secundae manui placuit praepositionum *sub*, *ad*, *con*, *in* litteram finalem vertere in eam qua incipit verbum simplex, unde fecit *suc-*, *ac-*, *af-*, *ag-*, *al-*, *ap-*, *at-*, *col-*, *cor-*, *il-*, *ir-*; quod verbo monuisse praestat, quam promiscue utramque compositionem exhibere, ut Maius fecit. Eadem ratione videmus secundam manum passim corrigentem *m* pro *n* in praepositione *in* et *con* ante *p* vel *b*, ubi Maius semper *m* dedit. Tum habet codex *um*quam, et accusativi forma in *n* ante *dem* et *dam*. Nec lucramur notatione verborum, in quibus contra etymologiam peccavit unus et alter litteram *h* omittendo adscribendove; linguae Graecae maior est auctoritas in his quam librarii exceptionibus. Idem dictum velim de *i* et *y*, quos errores notasse non vacat. Porro Maius usus est *c* in verbis cum *nuntiare* compositis, quae librarius per *t* dedit; denique corrector paucis quibusdam locis expunxit *s* post litteram *x*.

IULII PARIDIS

LECTIONIS VARIETAS

EX CODICE VATICANO LAT. N°. 4929.

Capituli pag. 2 v. 3 col. pr. Qui obitum *A linea.* v. 22 Quae rata *A linea.* pag. 3 v. 1—5 *Desunt.*

LIBER I.

Cap. 1 servata. servata aut neglecta. § 2 Velia vela § 3 Hennam bennam § 6 Coelius coe.lius, *erasa* g. | flaminio flamonio § 8 Flaminius flamonius | omiserunt 1. dimiserunt | audito. audito per lictorem. § 11 simulacra simul causa § 15 tricesimum 1. tricensimum, *quam formam per* n *corr.* 2: VIII, 7 § 10, 17, 18, 20; 12 § 7, *contra:* II, 1 § 4, VIII, 7 § 1.

Cap. 2 § 2 *praecedenti* § *adhaeret.* | familiarem 2. familiae | Hercules 1. Herculis | interemit interiit § 4 Apollinis 1. Apollonis § 5 templum contemptum § 6 censura censum | Locris locis § 7 thensaurum thes|nsaurum, *del.* ns. § 8 thensauro thesauro § 10 fano 1. fanos | Locris locri § 11 ornaverat 1. ornoverat § 12 Aesculapio 1. aescolapio § 15 crateram creteram § 17 Persae Prensae | conpulsi conpulsi complexi § 20 quamdiu quamuis, *suprascr.* diu.

Cap. 3 § 6 ignotae 1. it notae | Phye fye § 7 gravissimae 1. *incerta terminatio* | Lacedaem. Lacaedem. § 8 Zaleucus Za.leucus § 11 atque 1. adque, *item* Cap. 7 § 12. § 12 Sabazi 1. sabzi, 2. zabazi

Cap. 4 § 1 *praecedenti* § *adhaeret.* | professionis perfectionis § 5 In sequenti insequenti § 6 laciniam 1. laociniam | nuntiaret. 1. numparet. § 7 advolaverunt 1. advolaverint | fugit mulcata. mulcata fugit. § 8 Dinocrates dimocrates | proximo primo | convenarum conven.arum

Cap. 5 § 2 sicui siqui § 3 Tertiam nomine Tertiam § 5 accepta a 1. accepta § 7 exponere expromere | ἀλλὰ aΛa | ὁλοὴ καὶ Λητοῦς oaoнкaтaнтoуc, 2. кaι | υἱὸς 1. уoe | Eo autem *A linea.* § 8 Petilius Peti.lius | letum letam § 9 ac ad | Priennenses prienenses § 10 Aeanta a.eante

Cap. 6 § 2 cóncionantis eluxisset contionantis fluxisset § 3 causa casus § 11 ducturo 1. dicturo | principia 1. praecipia | primipilo 1. primo pilo § 12 apum 1. apium § 13 Ptolemaide ptolomaeidae | Trallibus tralis § 15 patera paterae § 16 divitissimum 1. diutissimum § 17 parvuli parvoli | impleverunt impleverant

Cap. 7 § 2 accidit 1. occidit | cornu 1. cornum | somniis somnio § 4 ·SC· ·s·c· § 6 nigri, nigri. | δαίμονα 1. daιΛ|ΛoNa | ter somniasset persomniasset | parum parvum § 8 sile et 1. sit ẽe § 9 Cassander 1. cansander § 11 Atyn 1. acyn | adservaret 1. adseveraret, 2. asservaret § 12 Himerae himera § 14 somnium somnũ § 16 oborsus petiit 1. aborsus petit | saltem exsisteret ut saltem existeret | tum cum | deprehenso deprenso, *eadem occurrit brevior forma:* IV, 6 § 1, V, 6 § 7, VI, 1 § 14, § 15, 8 § 7, VII, 2 § 29.

Cap. 8 § 2 factos 1. factus | quod 1. quos § 3 Aesculapius 1. aesculatius § 5 ad quartum 1 atq; artū § 6 uno plus Etrusci cadent 1. uno plus &uscis cadet | victor et victor § 7 defenderet 1. dependeret | factum

1. iactum | qui sibi qui eam sibi § 8 philippensi philipp.ensi § 10 Euboeae eubo.eae

Cap. 9 § 5 mortis *Deest.* § 8 mutus *Add.* 2. § 11 Scopam scopan, *eadem forma:* III, 1 § 5, 6 § 7, IV, 3 § 6, V, 3 § 16 | Cranone crannonae § 12 cum omnino *Corr.* 2. § 17 communione communionē

LIBER II.

Cap. 1 § 4 quinquagesimum 1. quinquagesimam. § 18 Idem cum § 26 ictus iactus § 27 tegmine tegi.mine § 28 Messala 1. messalla § 29 propiusve propius § 30 DLVIIII 1. DLVIII § 31 Betico petico § 32 *praecedenti § adhaeret.* | rusticae 1. rusticas | haud 1. haut | filii *Deest.* | collega studio collegae studium | sequutus secutus, *ut constanter Mai dedit praeter hanc § et* IV, 7 § 4. § 33 Gladiatorum Gladiatorium | Ap. Claudio a ·p· claudio | Bruti, funebri bruti perae funeri. § 37 lusus ius est datum *Maius:* is est datus *non sine litura. At litura est in* lusus ius | habet. habent. § 45 sit illi illi sit § 51 ad *Deest.*

Cap. 2 § 5 dimittere demittere § 7 Geminio 1. gemino § 9 Rullianus 2. rutilianus § 10 gereret et 1. *add.* et | toga laciniis 1. togula ciniis § 13 quam Latinos quam in Latinos. *Inter § 13 et 14 omisit Maius hoc exemplum:* Scipio Numantinus capta Carthagine, exterarum gentium transfugas, in edendis populo spectaculis, bestiis obiecit § 15 usus est orsus est | honoris 1. honor § 19 senatus senatus cum | Regium 1 *corr.* regulum.

Cap. 3 § 1 *praecedenti § adhaeret.* | imperatoris imperatores § 5 triumpharit triumphabit

Cap. 4 § 3 Flaminium flamininum | in *Deest.* § 5 abrogaverat. 1. abrogaverunt.

Cap. 5 § 7 populum 2. *in marg.* immo senatum § 9 Xerxes xerses | regnum regnum suum

LIBER III.

Cap. 1 § 2 est *Corr.* 2. § 5 mandatu 2. *in marg.* mandato.

Cap. 2 § 5 exuit exuit, eaque iovi feretrio dedicavit. § 6 circumsideretur 1. circumsederetur § 7 scipionem 1. spionem § 9 Rullianus rutilianus | adversus 1. adversu § 11 Zmyrnam 2. smyrnam | virgam virga § 12 Pompeio pompei | navi 1. nave § 13 transfodit. 1. transfudit. § 16 quicquam 1. quidquam § 18 Nerviorum servorum § 20 defenderet 1. defenderat | vallum bellum § 23 iussu eius ius tuletus § 24 Caesare Brit. oppugnante caesa brit. oppugnans, 2. caesar. § 25 centies XX. CXXes | VIII triumphales *In marg.* VIIII triumphales | phaleras 1. pateras, 2. pharetras § 26 vidit ut vidit § 28 ac morte othryade § 30 porrectam 1. correptam

Cap. 3 § 1 urgeri urg.eri. § 4 ad ob § 6 Nicocreonte 1. nicocreone, 2. nirocreonte.

Cap. 4 § 2 collega 1. collegae § 3 civis 1. cives | papia parta

Cap. 5 § 5 conformari formari § 7 Duellius 1. dulius § 10 egit. 1. coegit.

Cap. 6 § 3 Curiatius curatius § 4 se populo populo se § 5 *εὐκνήμιδας* 1. ΕΥΚΝ|ΝΜΕΙΔΑC, 2. ΕΥΚΝΗΜΕΙΔΑC | *τοιῇδ' ἀμφὶ* 1. ΤΟΙΗΔΑ|ΜΦΙ, 2. ΤΟΙΗΔΑΛΑ|ΦΙ | *πολὺν* 1. ΠΟΑΥΝ | *ἄλγεα* ΑΑΓΕΑ § 6 *κυανέῃσιν* ΚΥΑΝΕΗCΙΝ | *Κρονίων* ΚΡΟΝΕΙΩΝ | *ἄνακτος* 1. ΝΑ|ΑΚΤΟC | *ἀθανάτοιο* 1. ΑΕΑΝΑΤΟΙΟ | *μέγαν* ΜΕΓΑ | *ἐλέλιζεν* ΕΛΕΝΛΙΞΕΝ | *ὅλυμπον.* 1. ΟΑΥΜΠΟΝ. § 7. exolaret 2. exularet

Cap. 7 *in Cod. est Caput* 6. § 3 diversas adversus § 4 Palicanus 1. pollacinus, 2. pallacinus | consul crearetur conculcaretur § 7 familiae aemiliae § 8 ipsas eas

LIBER IV.

Cap. 1 § 1 populo summittens 1. populo|rum mittens, 2. populum mittens § 4 tribunos eosdem eosdem tribunos § 5 a patre *Desunt.* | consulatum saepenumero saepenumero consulatum § 6 perpetuos perpetuas § 8 Gnaeo 2. *in marg.* asiatico. § 9 fuisset fuerat § 11 peierasse pe.ierasse § 12 M. 2. *in marg.* Q. § 13 eum audiit audiit eum § 14 Trallibus 1. tralibus § 19 patria a Dionysio tyranno acontii pro patria, *in marg.* dionysio tyranno. § 21 Tegeates 1. tegeaes § 22 Alcaeum 1. achaeum, 2. alchaeum § 23 sapienti Thaleti sapienti, dederunt Thaleti

Cap. 2 § 6 Caninius C. annius

Cap. 3 § 1 cuidam 1. quidam | tradidit. tradidit auro etiam quod pro redemptione puellae acceperat summae dotis adiecto, qua abstinentia animos Celtiberorum obligavit. § 2 Cominio 1. cuminio § 8 Perse devicto perse rege devicto § 10 contentus contemptus | est. *Corr.* 2. § 13 tam 1. quam § 14 collegam *Deest.* | ingenui 1. ingunui | inritum 2. irritam | dimisit. 1. demisit. § 16 inquit mihi mihi inquit § 17 inquit *Deest.*

Cap. 4 § 5 pupinia papinia | agrum eius coli rerum cum magis § 9 dos 1. domus | dotis doti.s § 10 Megullia negullia § 11 XXX *superducta lineola ut intelligatur* milium.

Cap. 5 § 1 substinuit. sustinuit. § 2 dignitatis dignitati § 4 contrariorum comitiorum § 5 petitioni deserviret 1. petitoni deservisset | eo et § 6 pale *In marg.* acie | Larissam 1. lassam, 2. larisam

Cap. 6 § 3 Asiam aciem § 4 Pompei 2. pompeii § 5 ardentes ore 2. *corr.* § 6 Ipsa ipsam § 7 reliquerit. relictum. § 8 Myniae Minyae

Cap. 7 § 4 Lucullum 1. lucillum § 5 Qui frustra

rogatum quin frustra rogare § 6 Servius 1. Sevius | simulavit simulatum § 8 Hephaestione ephesione | Hephaestionis ephesionis

Cap. 8 § 4 *bis* Quintus Flaminius quintius flamininus § 5 ccc milia ccc· m·

LIBER V.

Cap. 1 § 1 DCCXLV DCCXLII § 3 pararet. pareret. § 8 monere 1. munere § 9 intrasset 1. intravit § 12 pauci parvi | audivisset audisset

Cap. 2 § 2 fide fidem | Facula 2. *in marg.*, 1. oppia § 3 Tusculani, bello quo *hi* bello quo Tusculani § 4 *praecedenti* § *adhaeret.* | decessisset 1. decessit § 5 praetoria 1. praetorio | pileatus pilleatus, *item* § 6, VI, 5 § 9, VIII, 6 § 2. § 6 Flaminium Flamininum § 7 praetore 1. et praetore | revocato 1. revocata § 10 libitinam 2. *in marg.*, 1. libertinam.

Cap. 3 § 2 ab Apuleio a·l· apuleio § 7 pendit. 1. pependit. § 8 iudicio 1. *corr.* iudio § 13 in patria de de patria in § 14 iisdem isdem § 15 *praecedenti* § *adhaeret.* | quo totius sub quo totiens.

Cap. 4 § 3 gravaret. gravaretur. § 4 ·GN· ·C̄N· § 5 cum patrem suum *Add.* 2. | violenta 1. violentia § 6 Perus 1. Nero, 2. pero | aluit. 1. alunt. § 12 GN· ·C̄N· § 17 videar retulisse. *Sic tert. manus*, 1. ut idem rettulisset. § 19 Hoc *A linea.* | pacto pactum | conditionem condicionem.

Cap. 5 § 3 Octavius Olius | expeditum inpeditum § 4 id ita

Cap. 6 § 2 Cassius Ensius § 5 senatui senatu § 6 male malae § 8 obstrixit obstrinxit | adtulerat secum occultum secum adtulerat | Monuit movit

Cap. 7 tulerunt. tulerint. § 1 audiret audisset § 4 quatriduum quadriduum § 5 Xenophon Xenopho on | e cum | Gryllum grylum | Mantineam antineam | cecidisse 1. cedisse § 6 Anaxagoras 1. Anagoras

LIBER VI.

Cap. 1 § 2 Virginii virginis § 3 occidit. necavit. § 5 patriae patria § 6 coinquinaverat conquinaverat § 8 nexum nixum | querellam 2. querelam § 11 audisset — iure 2. *addid.* | ausus fuerat fuerat ausus § 12 Musa musea § 15 qui quem

Cap. 2 § 1 interrogaverunt interrogaverant § 3 quid de Tib. qui de Ti. § 7 indicia iudicia § 9 Carbone cos. obsides a carbone cos. obsidens § 12 dederant dederant donaverant, *utrumque in marg. repetitur.* § 14 perducta in arcem in arcem perducta | aestimabamus aestimabam

Cap. 3 post § 6 *sequitur exemplum a Maio omissum*· C, vettienum, senatus, quod digitos sibi sinistrae manus ne bello italico militaret absciderat, vinculis aeternis damnavit. § 7. delectum 1. dilectum | prima 1. in prima | non 2. *add.* § 9 bacchanalibus bacchanalium § 10 Asellum nellum | strangulatae stranguilatae § 17 *hic incipiebat Cap.* 4, *corr.* 1.

Cap. 4 § 4 satis 1. lates § 5 ei porrexisset 1. et promisisset | dixit *Erasa litt.* q; *opinor* | fore *Deest.* § 9 ac aut | istam quaeso quaeso istam | ipsum ipse

Cap. 5 § 3 huiusmodi eiusmodi § 4 traditis partis | eius collega cuius collegae | reus 1. reos § 5 severe gestam 1. se ut reges tam | Romae *Deest.* | damnantibus 1. dominantibus | esset essem § 9 tarpeio tarpeo § 11 legumlatorem legem latorem | filii 1. fili § 12 Thuriorum yriorum | interficeretur inveniretur

Cap. 6 § 1 Ptolemaeus 1. ptolomaeus | pontificem 1. pon-

tificum § 2 quod tim. quo tim. § 3 Flaminio flaminino | praetore dedendos praetores § 5 quod ubi 1. quo dubii

Cap. 8 § 1 perseveranter 2. *in marg.*, 1. perseverante | laterna 1. lanternae | promittente fidem fidem promittente § 3 Euporo euparo § 4 insultationi insultationi hostium § 6 Urbinii Uruon

Cap. 10 § 1 ludicrae rei 1. ludicra re § 3 Pompeio pompeo § 8 maritimis 1. maritimas | Pharmacusam 1. parnacusam § 10 coegerit. coegit.

LIBER VII.

Cap. 1 constanter 1. constante § 1 charissimorum clarissimorum § 2 Aglaum agravum

Cap. 2 § 1 *adhaerebat praeced. Cap., corr.* 1. crebro *Add.* 2. § 5 a *Deest* | aditus addictus § 13 eorum *Add.* 2. | inquit 1. inquid § 16 vertantur revertantur § 17 interrogatus 1. interrogatui § 18 demum tum demum § 23 auditorem 1. adiutorem | rarissime aut rarissime | apud regem accepta accepta apud regem § 24 ipso ipsos § 28 aranearum 1. araneorum § 29 Agesilaus 1. Agesilas § 30 tantam 1. tantum § 33 aras ara § 34 expedire expediri § 35 monuit *Deest.* § 36 siquid si cui § 37 infirmissimum alterum alterum infirmissimum | fatigabat fatigat

Cap. 3 § 2 adparitorumque 2. apparitorque § 3 filii 1. fili § 4 retulit rettulit § 6 conditione condicione | coepit. coepit· tum § 8 ibi autem eadem | quin 1. qui non § 9 ab 1. ob § 10 adque idque

Cap. 4 § 1 Metium metum | recessisse secessisse § 2 seducto eo ultro § 3 quam pluribus conpluribus § 5 urbemque 1. urbem ad § 7 gladiis 1 gladius | caeciderunt ceciderunt

Cap. 5 § 1 a *Add.* 2. | Maximo maximum | patrui patris § 5 sugillatus suggillatus

Cap. 6 § 1 patribus *Deest.* | viri qui 2. *in marg.*, 1. utrique | et e § 2 territa urbe territam urbe | instrumentum instrumento | VI 2. *in marg.* XVI

Cap. 7 § 2 In illa *A linea.* | CC 1. XCC § 3 Carbone carbone cos· § 4 defecisset 1. defuisset

Cap. 8 § 1 centumviros CV § 2 centumviros CV § 4 Publicio .publico | nubsit 1. subsit, 2. nupsit § 5 adulescentis adulescenti § 6 Naevio Annio naevio anio § 8 traxerat taxarat | Ofilium filiam § 10 Reginus beginus

LIBER VIII.

Cap. 1 § 2 subscriberet 2. suscriberet § 4 certi coorti § 5 Pulchro 1 pulfcho, 2. *in marg.* ·l· claudio pulchro § 6 aedili aedile | hominis hominum § 7 poema 2. *in marg.*, 1. poena § 8 dirempturum 1. direm tuum § 13 *in marg.* damnationes innocentium § 16 revivisceret 1. revivesceret | minueret minuerat § 17 Sextilius 2. *in marg.*, 1. Sextius § 18 circumierat circumierant § 22 zmyrnaea 2. smyrnaea

Cap. 2 § 2 Laterensi 1. laterensis § 3 idemmet crimine idem et crimen

Cap. 3 § 2 Afrania 1. afrinia § 3 gravi tributo *Add.* 2. *in marg.*

Cap. 4 iudiciis *Deest.* § 2 tortus 1. ortus

Cap. 5 § 3 in im | impetu 1. impetum § 4 civitatis civitati § 5 Cicero ciceroni | esset ingressus ut stupro pollueret, absentia et ingressus vastet stupro populus § 6 cuias sit 1. cui adsit, 2. cui assit | damnavere. damnaverunt.

Cap. 6 § 1 praetore praetore suo | uti ut | pauco parvo | inpetravit quae inpetravit § 3 ·D· 2. *corr.*

Cap. 7 § 6 Asia asiā § 8 obluctantibus 1. obluctantis § 10 eius eius gentis § 16 panathenaikos 1. pana athenaikas, 2. panathenaikas. § 18 reliquit 1. relinquit § 21 iam in | istud 1. itud § 23 *praecedenti* § *adhaeret.* § 24 Mithridates 1. Mithridatis

Cap. 8 § 3 visus 2. risus

Cap. 9 in eloquentia eloquentiae § 2 destrictos 1. destrictus | degressis digressis § 4 contione contionem | Athenienses 2. atheniensis § 5 mala 1. malae § 7 Roscium 1. ostium § 8 istud 2. *in marg.*, 1. his iud | nisi 1. si § 9 suam suae

Cap. 10 § 1 Gallus 1. galus § 2 et quid 2. ecquid *Post* § 5 *sequitur exemplum a Maio omissum:* Equus pictura equae pictae motus adhinniit.

Cap. 11 § 1 Euphranor 1. Euhanor § 3 spongiam sphongeam | coloribus coloribus forte iuxta se positam § 4 praetorio 1. praediatorio | negocium negotium § 5 conatos 1. conatus § 7 incipiente 1. incipiente

Cap. 12 § 2 *in marg. add.:* arae. § 3 annos annis § 13 ·CLXVIII· ·CLVII· § 16 ·DC· 1. ac

Cap. 13 § 1 monumentis monimentis (*supra dedit* i) § 4 gaùdio gaudium § 9 Theodecti 1. theodectae | titulum. 1. titulo | planius 1. plantus | de his sibi sibi de his | Theodectis theodecti

Cap. 14 § 1 exercitus senatum 1. exercitum senatus § 4 provinciam provinciam quib; etiam | dedit *Add.* 2. § 6 Asiam 1. isaiam § 7 Marium manū § 12 Fulvii fulvi § 14 ob 1. ab

LIBER IX.

Cap. 1 § 2 aviculas 1. auclas | HS·LX· 1. HS·LX·, *quo eraso inter lineas scriptum:* sexagies sestertium; 2. *in marg.:* hs, *quo eraso:* HS, *quod item postea erasum est.* | HS·XXX· 1. HS·XXX·, *quo eraso inter lineas scriptum:*

tricies sestertium, *addito ab alia manu:* circa, 2. *in marg.:* hs, *quo eraso:* HS, *quod item postea erasum est.* | HS·XXX· 1. HS· XXX·, 2. hs, *quo eraso:* HS, *quo item eraso:* tricies sestercium § 4 se et aris 1. sectaris | aulaeis auleis, 2. *ex Valerio superaddidit:* attalicis. *Quae Valerii additamenta recentiora per* (V.) *notabo.* § 5 iniuria (V.) nobilium iuvenum. Itaque eodem tempore et in·isdem penatibus diversa secula habitarunt frugalissimum alterum alterum nequissimum. § 6 matronarum (V.) et nobilium iuvenum | emptae (V.) mercedis loco § 7 domui domi | in eo 2. *add.* § 8 filium suum (V.) quem et solum et aetate iam puberem habebat. § 9 invictum invictum armis | deliciarum resolveret. 2. deliciasque evocaret. § 11 vasa vasa ad usum culinae comparavit et tabernacula § 12 Physcon phynycon § 14 conscendere (V.) aequo animo

Cap. 2 § 1 milia 2. *add.* | ·DCC· *Corr.* 2. § 5 seditiosissimi (V.) et abiectissimi § 7 Arvinae 1. arbonae, 2. arbinae § 8 quos 1. quod § 10 Eadem 1. Eidem | usi crudelitate *Add. ex V.* § 11 Igillo 1. igilo § 12 cogebat. (V.) neque ante sanguine explebatur quam ad unum victorem omnes redegisset. § 14 Diogyrridis diogyridis § 15 et uxore *Deest.* § 16 incendit. (V.) omnes que in eo erant partim ferro, partim flamma necavit. § 17 obstrictus (V.) persis § 18 Artaxerxes artarxesxes § 19 Aeginensium 1. egitensium § 20 Saevus 1. Saeuius | inventor 1. inventos § 21 emineant. (V.) eosque ut diutius pene sufficiant, cibo et potu infelicem spiritum prorogare donec intus putrefacti laniatui sint animalibus quae in tabidis corporibus nasci solent.

Cap. 3 § 1 repetentis repentis | Miscuit — quaerentis. *Lineola subducta sunt ab eo, qui ex V. in marg. add.* ira tunc et virtus sermonem eius inter se divisere. Illa·iniuste dampnationis memor haec triumphi gloria intenta. Sed nescio utrum eiusdem fuerit hoc dicere et sic vincere. § 2 omnes dimisit *Ex V. addita.* | consulere 1. consolare § 3

anulos (V.) aureos § 4 victoriam (V.) cum seniores omnes letantes occurrerent. § 7 subacta *Add.* 2. | vetuit. (V.) Silla dum ire obtemperat multo alieno sanguine fuso ad ultimum et suum erogavit, puteolis enim ardens indignatione quod granius princeps eius coloniae pecuniam a decurionibus ad refectionem capitolii promissam cunctantius daret, animi concitatione nimia atque immoderato vocis impetu, convulso pectore spiritum cruore ac minis mixtum evomuit, LX ingrediens annum. Igitur in dubio est sillane prior an iracundia sille sit extincta. § 8 Critum 1. critem § 9 dicebat. (V.) e quibus hannibal novem annorum patre sacrificante altaria tenens iuravit se cum primum per aetatem potuisset acerrimum hostem p. r. se futurum. § 10 alterutra 1. alterutras | redacta. (V.) Semiramis assiriorum regina cum ei circa cultum capitis sui sui occupate nunciatum esset, babilona defecisse altera parte crinium adhuc soluta protinus ad eam expugnandam cucurrit, nec prius decorem capillorum in ordinem quam tantam urbem in potestatem suam redegit. Quo circa statua eius babilone posita est illo habitu ad ultionem exigendam, celeritate praecipiti tetendit.

Cap. 4 § 1 Basilio 2. *corr.* § 2 Silium *In marg.* Syllium | dimisit. (V.) an dubites si alterum tantum daretur iugulum quoque suum aequo animo illis fuisse praebiturum. § 4 exsequi. (V.) sed argentum et aurum futurum necis sue praemium domum revexit. Hic non possedit divitias sed a diviciis possessus est, titulo rex insule animo pecunie miserabile mancipium.

Cap. 5 § 1 introduceret 1. introducere | desisteret resisteret § 2 interpellatus (V.) quia se interfari | concionaretur 1. contionatur, 2. contionatus, (V.) contionaretur ausus. § 4 reum (V.) et nobilem virum et sibi amicum | moraretur. (V.) et huius dicti conscius securus cenare potuit. § 5 tulerat (V.) in maxima quidem reorum et illustrium ruina. | depoposcit. (V.) maritalis lecti blandiens statum reip. temperando. § 6 habui. (V.) superba de senatore inpotens

de occiso confessio. § 7 adscivit. (V.) nec fuit ei pudori filium civem hominem dissimulare.

Cap. 6 § 1 vendidit. (V.) quo facinore maximam cladem barbarorum magnitudine criminis antecessit. § 2 nave *Ex V. add.* | curavit. (V.) quem senatus albam relegavit. § 3 ducem (V.) cuius optima opera primo bello punico usi fuerant et quo iuvante atilium regulum ceperant. § 4 urbe urbe (V.): inexpugnabilibus muris cinctam.

Cap. 7 *praecedenti adhaerebat, unde in seqq. discrepat capitum numerus in editione et codice; recentior manus add.:* De vi et sedicione. § 1 L. L. q. | trib. ti. (*pro* Tiberius, *ut* VII, 2 § 9, 6 § 1, IX, 12 § 4) | decessisse. (V.) neque oportere clarissime familie ignotas sordes inseri cum inprovida concitate multitudinis temeritas pro imprudentia et audacia adversus consulatum et censuram tetendit principesque suos omni petulantie genere vexavit. § 2 Populus romanus *Gloss. recentioris manus primo hic obviae:* Gens romana | Nunnium 1. nuntiatum | daretur. *Rec. man.:* concederetur. § 3 ab ipsis aris fugere coactum *Ex V. add.*, 1. fuga | tabernula tabernulā | petierat 1. penerat | latitantem *Ex V. add.* § 5 ambitiosi 1. ambitiosis | illecebris 1. precibus | mactaverunt. 1. mactaverant. § 6 est. (V.) tantumque scelus curia castris se cedere confessa inultum habuit.

Cap. 8 § 2 servili 1. servilis

Cap. 9 § 1 Cornelio Cinna (V.) in quem se sevire estimabat. § 2 Tineio 1. tineo | quis 1. qui § 3 occidi 2. occide

Cap. 10 § 1 Veliterni 1. veleterni | sola — magistratum. 1. pollia tribus fecerunt magistratum, 2. polliae: *quibus lineola subducta ex V. add.:* sola popilia tribus iudicavit, oportere eos publice verberatos securi percuti. Inbellem multitudinem sub corona venire. Quam ob causam popilia tribus in qua plurimum postea tusculani in urbem recepti potuerunt neminem umquam pollie tribus fecit magistratum ne ad illam ullus honor suffragiis perveniret quae illis vitam ac libertatem

quantum in ipsa fuit ademerat. § 3 Thomyris 1. Thomeris, 2. Thamyris | iussit. iussit, exprobrans ei insatiabilem cruorem. § 4 Iaso thessalus (V.) Iasonem thessalum persarum regi bellum inferrentem parantem, an satis iusta ultio absumpserit, dubium est. Taxillo enim gymn. | Taxippo taxiyppo | gymnasiarcho 1. tymnasiarcho | ab his *Ex V. add.* | drachmas dragmas | posteriore posteriores | vindicta uso 1. vindictae ei occiderunt. (V.) parvo irritamento ingenui pudoris maxime rei expectatio subruta est, quoniam opinione graecie, tantum in spe iasonis quantum in effetu alexandri reponitur.

Cap. 11 § 1 agebat (V.) subcussis frenis | ipsa — iussit. *Erasa, tum ex V. add.:* repentine more causa requisivit et ut corpus patris servii tullii occisi ibi iacere, supra id duci vehiculum iussit quo celerius in complexu interfectoris eius tarquinii veniret, qua tam impia, tamque probrosa festinatione non solum se aeterna infamia sed et ipsum vicum cognomine sceleris maculavit. § 2 cui — posset *Ex V. add.* § 3 Cicerone 1. catone § 7 Salassum 1. saisum § 8 pugnaturi. (V.) eos cum scipio monuisset ut verbis magis quam ferro uter regnare deberet decertarent, ac iam maior natu consiliis eius obtemperaret, minor corporis viribus fretus in amentia perstitit initoque certamine pertinacior impietas fortune iudicio morte multata est.

Cap. 12 § 4 Iuventius M. iuventius | senatu senatu nuntiantibus | nuntiantes *Deest.* § 7 dicerentur 1. diriverentur § 14 Manibus oppressis, manibus. Oppressus

Cap. 13 § 2 sibi alvum 1. salvum | expiraret 1. expirare

Cap. 14 sint. sunt, *corr.* 1. § 1 Masinissa Masinnissa | fidei fide § 2 atque atque etiam

Cap. 15 § 2 Menogenis 1. menogeni § 3 et 4 *uno tenore scriptae a* 1., *sed altera ratio placuit ei, qui rubricas adscripsit; altera pars* § 4 *nova habeatur* §. § 4 Pamphilo panphili § 6 vindicaret. vindicare. § 7 *olim praecedenti* § *adhaerebat.* | repertus 1. reppertus § 10 Ariarathes ariathes, *et postea.* | occisus esset. esset occisus.

LIBER X.

Praefatio. *Deest in hoc codice, sed eadem exstat in cod. Vaticano* N°. 3337, *cum hac varietate lectionis:* | studiosorum studiorum | segnitia segnitie | compendio compedio | complexus est co (*lin. del.*) complexus | coniectari coniecturari

Cap. 1 Metium 1. metum | contenti 1. conti | Ab Etruscis etuscis | Porsennam porsinnam

Cap. 2 per *Add.* 2. | proprietates proprietatem | gentilitium gentilicium p. 91, v. 1 Nam *A linea, item* v. 2 Quorum; v. 6 Quin; v. 8 Gentilicium; v. 9 Pueris; Cap. 3 Opiter *praecedentibus adhaeret contra* v. 15 Hospes; v. 16 Volero; v. 18 Laertis; v. 20 Statius; ibid. Faustus; ibid. Tullus; v. 21 Sertor; v. 22 Ancum; v. 24 Lucii; v. 25 Manii; v. 27 Cnaeus; v. 28 alii enim; v. 33 Gaii *lege* C$\bar{\text{N}}$; v. 34 Auli; ibid. Marcii *lege* M$\bar{\text{.}}$; ibid. Publi; v. 36 Tiberii; ibid. Titus; p. 92 v. 1 Appius; ibid. Caesones; v. 2 Servius; v. 3 Spurii; v. 4 Numeri; Cap. 4 v. 10 Illa; v. 12 Ferunt | Caepio: namque caepio|nemque

Cap. 3 Lartis pronomen Laertis praenomen | consul Lar consularis | antias antea | qui quo | ἄγκων vocatur vocatur $\overline{\text{aNKωN}}$ | Naeum naeuum | ecfertur &fertur | forctis 1. foretis | et natura et gnatura | Cnaeus gnaeuus | ·GN· $\overline{\text{.CN.}}$ | corruptione correptione | dis alentibus 1. is aventibus | σποράδιοι cπoPaΔII | Numerii Iotacilii numeri iotacilii | avi 1. aut

Cap. 4 Murrula 1. murrul

IANUARII NEPOTIANI

EPITOMA VALERII MAXIMI.

Eundem ordinem tenentes, quo Maius in tomo III Scriptorum Veterum Novae Collectionis edidit novos auctores, qui ex classicorum operibus sua conscribillarunt, pervenimus ad alterum operis Valerii Maximi abbreviatorem, Ianuarium Nepotianum dico. Angelus Maius libellum huius epitomatoris mutilum protraxit (Coll. laud. tom III pars 3 pag. 93—115) ex codice Vaticano N°. 1321, qui longe discedit a Paridis libro; est enim recens et corruptissimus, ita ut ad Valerii opus emendandum vix inserviat praeter lacunas in libro primo, quibis locis longiora praebet supplementa quam alter ille, qui Valerii verba in brevius contraxit, dum hic stilo uberiore utitur; attamen equidem inde vix deduxerim fere inlibatas istas paragraphos ab eo esse excerptas, ut Kempfio videtur, nam de suo plura addidit noster, per metaphrasin alia inserens et «praetermissa connectens,» ut ipse fatetur.

Propter lacunas suppletas non spernendus est liber; accedit, ut verissime Blumius observavit, Iter Ital. III, 97, quod descriptus est ex codice antiquissimo; at fallitur vir doctissimus subiiciens librum fuisse lectu perdifficilem, nam innumera menda quibus scatet, illepida et absurdiora ex eo nata sunt, quod

librarius stupidissimus scripturam ornatiorem et antiquam, Longobardica quae dicitur, non tenebat. Cuius rei certa indicia se produnt, qualia sunt, *e* pro *ae* et *oe* saepius posita, litterae *i* forma longior, quam pro *l* accepit, sigla *per* et *prae* mixta, necnon *ct* pro *st* acceptae, vide 5 § 5, 6, terminatio *us* et *um*, vel simplex *s* et *m* omissa aut praepostere addita; est enim hoc proprium quid Longobardicae scripturae, cuius rei prae ceteris inveni exempla quam plurima in Codice eximio N°. 76 in bibl. Barberina quae est Romae; verum constanter se prodit scriptura Longobardica erroribus, quibus forma litterae *t* ansam praebuit, quippe quae fere sic ꝛ scripta a littera *a* vix discrepare videtur lectori, quem latet quonam puncto differant inter se; vide omnino, nam verbis haec describi non possunt, Silvestre tab. 33, 74, 128, 154; hinc 1 § 10 exhibet librarius noster *dicatarram* pro *dictaturam*, 7 § 4 *conaria* pro *contra*, 7 § 15 *arallibus* pro *trallibus*, 9 § 8 *aranstulerat*, et 21 § 4 *consolatrix* dedit pro *cum sola arx*, eadem causa, et vel sic tamen nondum potuit sapere; aut litterae *t* ductus transversus sinistrorsum curvatus et ad lineam usque productus ab istis pro *i* vel *c* vel *r* habetur, hinc librarius noster dedit 11 § 7 *dictis* pro *ditis*, 18 § 1 *delecti* pro *deleti*, 6 § 1 *fortunauit* pro *fortuna ut*, 8 § 1 *intentio* ubi pro *intento* dare non poterat *intenito*, 7 § 10 *repertitum* pro *repetitum*. Praesertim fallit lectorem littera *t* si praecedit *i*, nam prior ductus quem dicebam cum *i* cohaerens videtur efficere *a*, atqui passim dant librarii huius rei ignari *at* ubi *it* erat describendum, parum solliciti imperfecti *habebat*, ubi futurum requiritur, vide in praef., aut coniunctivi, ubi indicativi locus est, vel *a* inserentes cf. 1 § 12, 5 § 7, 6 § 3, 9 § 22, quae item exulare debet in *Anatoni* 1 § 21.

Huius rei quum ratio habebitur, scriptura non adeo erit impedita, quam Blumio videbatur, et sic coniecturis ex certa analogia tentari poterunt loci vitio laborantes, ut statim faciam. Iusta Kempfii, ad Val. praef. p. 68, est querela, Maium in hoc scriptore restituendo arbitrio suo indulsisse, quod planum illi

factum est ex Blumii codicis apographo quod sibi confecerat ille, quae schedae amico dono datae perierunt praeter particulam, quam Kempfius ad Valerium adhibuit. Cetera ergo etiamsi sero mihi liceat Valerii editori subministrare.

Codex recte sic describitur a Blumio: est liber ms. Vaticanus Lat. N°. 1321 quartum decimum saeculum non excedens, membranaceus forma maxima binis columnis exaratus fol. 279. Insunt:

f. 1—137. Relatio Synodi Chalcedonensis.

f. 137—139. Constitut. Theodorici, Valentiniani, Marciani de eadem Synodo; editae a Labbaeo bibl. mss. IIII p. 1782—1786, 1807—1811, qui item Nepotiani epistolam sive praefationem edidit ibid. I p. 669.

f. 139—144. Epist. Fidei Cath. in Defens. Trium Capitulorum.

f. 144—147. Epist. Cypriani ad Cecilium de Sacram. Domin. Cal.

f. 147—154. Ianuarii Nepotiani Epitome Valerii Maximi.

f. 154—271. S. Facundi episc. Hermin. eccl. prov. Afr. ad Iustinian. Imp. Epist. in Defens. Trium Capitul.

f. 271—276. Eiusd. liber contra Misianum Scolasticum.

f. 277. Quaedam de Synodo a. 1078 ap. Labb. X p. 369.

f. 278—279. Index recentioris manus.

Quod ad Ianuarium nostrum attinet, contendo iam mutilatum fuisse illius opus in codice, unde Vaticanus descriptus est; nam in media voce desinit, et statim eadem pagina imo eodem versu transiit librarius ad Epistolas Sancti Facundi, cuius inscriptio exarata est nullo spatio relicto post historiam captae Romae: «*apertis ubi*[que ianuis Gallos intrasse,» aut simili modo supplendam.

Quis fuerit Nepotianus noster et Victor, ad quem epistolam sive praefationem dedit, ignoramus; recte enim Kempfius praef. p. 69, demonstravit Bergkii de illis suspiciones incertiores imo haud verisimiles esse. Nec diutius in his haerere lubet; praestat eadem ratione, qua supra usus sum ostendere vel in futilissimo auctore conferendo haud irritum meum fuisse laborem;

Maium nempe non qua par erat diligentia hunc publici iuris fecisse abbreviatorem.

Sic Cap. 1 § 2 dedit in loco Postumii « quod esset consul idem flamen*que* martialis.» At coniunctio deest in codice, quam si supplendam editor contendat propter Valer. I, 1 § 2, pronomini subiungenda est: « consul idemque flamen martialis.» Sed haud scio an Ianuarii stilus hanc particulam requirat. Maius librario subveniens scripsit in fine huius paragraphi, pontificem detinuisse flaminem, « ut videlicet priore *haberetur loco sacerdos quam consul, res sacra quam victoria*,» at librarius dederat: « ut videlicet priore *loco haberet sacerdos sacro quos consul victoriam*,» a quo minus discedens equidem refingo: « ut vid. pr. loco haberet sacerdos *sacra quam* consul victoriam.» Sic enim exprimit, ni fallor, Valerii dictum « religioni summum imperium cessit.»

Nec abbreviatoris manum mihi videtur assecutus Maius § 7 « Gracchis remp. vexantibus, repertum in Sibyllinis libris antiquissimam Cererem placandam. Tunc quindecim viri Hennam profecti sunt. Is enim locus a virgine cultus putatur. *Et Dea sacrificiis* propitiata Gracchorum exitu putatur.» Ultimum hoc nihili est, contra codex habet: *ut dea* (vel *dee*) *fatis receret. Propitiata;* quis non agnoscit verbum *satisfacere* in hac re proprium? Atqui sic legatur: « Tunc quindecim viri Hennam profecti sunt, (is enim locus a virgine cultus putatur), *ut deae satisfieret.* Propitiata Gracchorum exitu putatur,» nisi mavis *satisfacerent.* Si enim inde elicuero *fatis*, haereo in ceteris, verum omnino genuinum non est Maii supplementum, nec tuetur illud Valerii I, 1 § 1 « XV viros ad eam propitiandam miserunt.»

Quod Paridi videmus accidisse, Maium nempe pauciora illi subfuratum esse, in nostro quoque epitomatore locum habuit; sic § 8 addendum est: « Tiberius Gracchus ad augurum collegium e provincia scripsit comperisse se consules non auspicato creatos. Recitata in senatu epistula (lege cum cod. *epistola*)

revocati sunt consules, Figulus e Gallia, Scipio Nasica ex Corsica, *et magistratu se abdicaverunt.* Tanta vis religionis cet.» Cf. Valer. I, 1 § 3.

Lineola saepius abundat, ut modo dicebam, sic recte Maius eam sprevit § 12 *pervenit*, ubi supra *i* apparet et ante *t* inserta est *a*, contra in auctore nostro § 16 ferri potest «instabant sacra, quae *oportebant* celebrari.»

Nec opus esse videtur, ut § 17 legamus «quod Varro puerum speciosissimum *in* Iovis *tensa* imposuisset.» Codex enim habet «[*in*] Iovis *tense* imp.» Valerius I, 1 § 16 «in Iovis tensa puerum ad exuvias tenendas posuisset.»

Scriptura Longobardica causa fuit cur § 20 male habita sit a Maio; sic enim ille edidit: «Brennus rex Gallorum victoriis Delphos usque *pervenerat.*» In codice legitur *perveniat* vulgari errore pro *pervenit;* librarius enim, ut supra dixi, duplices ductus litterae *t* pro *at* habuit, quod quum ita sit, non est cur imperfectum scribamus contra usum epitomatoris; cf. errorem in eodem verbo § 12, quem editor bene correxit.

De suo addidit tres litteras in § 25, quibus facile carere possumus: «Ad Masinissam regem immensae magnitudinis elephanti dentes praefectus classis detulit, quos cum cognovisset e templo Iunonis Melitensis ablatos, remisit. Inscripsit *quoque* gentilibus litteris: accepisse regem ignorantem, supplicem remisisse.» Iam legamus cum codice: «remisit, inscripsit*que* gentilibus litteris.»

Capite 2 § 5 iuvat vocabulum ab editore omissum restituere in loco de libris Pythagorae, qui pulso auctore «ab Atheniensibus, *publice* exusti sunt;» est unus e locis Valerii, qui perierunt. Idem verbum Nepotiano subfuratus est Cap. 15 § 9 nam Athenienses «bonos cives ramis duobus olivae innexis *publice* coronabant.»

Contra aliud latet sub verbo, quod Cap. 4 § 2 idem ille omisit: «Chaldaeos *igitur* Cornelius Hispalus urbe expulit cet.» Sic enim non solent isti versari in excerpendo, quibus vox *igitur* admodum frequens est in usu, qua particula alienis-

sima coniunguntur et ad optimum quodque transitus fit, inspice Orosium et Freculphum, sed primo loco ponitur, hinc aliud requiro; pro *-itur* iure nostro rescribere possumus terminationem *-tus* vel *-tem* elisa *i*, hinc coniicio *item;* nec *etiam* nexui obstat, nisi propter Paridem mavis *praetor* vel *Cneus*.

Recte omnino in marginem reiecit Maius unde irrepserat in Capitis 5 titulum *auspiciorum*, qui in codice legitur § 1: «Urbem Romam [*auspiciorum*] auspiciis conditam certum est.»

Contra non erat, cur ibid. § 6 scriberet in loco de Cicerone proscripto, quod «corvus virgulam ferream, qua distinguebantur horae, sic rescidit rostro, ut *ea excuteretur*.» Codicis lectio activa *eam excuteret* recipienda est; cf. verba Paridis I, 4 § 6 «horologii ferrum loco motum excussit.»

Locus de duabus aquilis, quae Brutum belli civilis exitum praemonuerunt, sic legitur apud Maium § 7: «Victrix profecta ad Caesarem est, *fugit illa*, quae ex *Bruti advenerat parte*.» Recte codicis lectionem «ad Caesarem est *Augustum fugiat*, quae ex *Brucia diluxerat porte*» emendavit expungendo otiosum *Augustum* loco alieno intrusum et ex certa analogia sprevit librarii *a* ante *t* irrepsam, sed non erat cur pronomen in abbreviatore sanequam otiosum de suo adderet, quo si opus esset, *ea* sufficeret; denique disputari potest, lateatne potius in *Bruciadiluxerat porte*, verbum aquilis aptissimum *ex Bruti advolaverat parte*.

Cap. 7 § 7 carere possumus praepositione, quae in codice pariter ac in Valerio I, 6 § 5 deest: «Item [*in*] sequenti tumultu infans sex mensium triumphum clamavit.»

Typothetis tribuere velim, quod tria verba perierint Cap. 8 § 3: «P. Decius Mus et Mallius Torquatus consules bello Latino somniarunt diis manibus terraeque matri alterius *partis ducem alterius* exercitum deberi.» Tum equidem cum codice pro «Decium gloriosa *facta* rapuerunt» praefero *fata*, non est cur librariorum more *c* ante *t* inseras.

Versamur in capite de Somniis, atqui § 5 et § 10 rescribendum erit cum codice, quod loci postulant: «Cassius vidit in *somnio* hominem peraegrandem (lege: *pergrandem*) concretum coma et barba,» et «Hamilcar audisse sibi in *somnio* visus est.» At in Paride quum versabar emendando, demonstrare conatus sum in altero exemplo *somno* esse rescribendum contra Maii lectionem, cuius inconstantia ne mihi nunc obiiciatur, observo aliud esse *per somnum exaudire*, aliud *in somnio sibi videri*, quod utroque loco reponendum est.

Minus recte Ianuario retinuit Cap. 9 § 7 coniunctionem haud absonam: «Gaius Fabricius Luscinius (lege: *Luscinus*, ut Paris habet) consul *et* praecipuus imperator Thurinis auxilio erat.»

Peius tamen impegit § 8, ubi Nepotiano reddendum contendo: «Deos penates Aeneae Ascanius Lavinio *Albam* transtulerat.»

Opus non est, ut contra codicem legamus § 13: Quintam Claudiam «quae inhaerentem *vado* Tiberis navem vitta movit,» pro *in vado*.

Duos librarii ridiculos errores emendavit Maius § 25: «Pyrrhi pollex remedio erat si cui (pro *cuius*) renes tumentes eo tetigisset. Idem sic arsit, ut pollex igni inveniretur intactus. Qui digitus aureo *culo* inclusus et in antiquissimo templo Dodonaei Iovis conditus.» Legit enim cum Plinio H. N. II, 7 *loculo*, at inserendum est ex codice verbum «inclusus *est* et in a. t. conditus.» Denique «praedictus Pyrrhus et Prusias unum os habuerunt pro dentibus» ordo invertendus est: «pro dentibus habuerunt.»

Ex eodem fonte hausit Nepotianus § 35: «Bura et Helice urbes in Achaico litore fluctibus obrutae sunt, terraeque motu esse destiterunt,» cui paragrapho subiungitur in codice: «*Item et myrna asye civitas potens.*» Intelligo Smyrnam, quae tempore M. Aurelii terrae motu vastata est, atque haec illi reddo.

Male discedit Maius a codice Cap. 10 § 10: «Senes olim

etiam alienos iuvenes pro suis habebant, obvios prosequebantur ad curiam, manebantque in observatione donec *redirent*.» Dedit enim librarius *reducerent*, quod verbum omnino non missum facio, si quidem ex Valerio II, 1 § 9: «donec reducendi etiam officio fungerentur» excerptum; quidni inseramus pronomen «manebantque in observatione donec *eos* reducerent,» nam forma passiva «donec reducerent*ur*» non placet.

Forma simplex legitur § 22: «*Fisi* virtute Romani sine artificio dimicabant.» Maium forma ornatior litterae *F* fefellit, atqui male scripsit *Confisi*.

Item coniunctio Nepotiano reddenda est Cap. 11 § 7: «Saeculares ludi celebrati sunt apud eam aram, quam Valesius invenerat, ad quam *et* nigris hostiis immolabatur, et lectisternia excitabantur, et nocturnis ludis festa agebantur.»

Neque spernenda est lineola, qua neglecta Maius scripsit Cap. 13 § 1: «Cn. Flavius scriba formulas sacras verbis *aptioribus* expedivit.» Librarius enim dedit *apcioribus*, et ni fallor *apertioribus* recte respondet ei, quod Flavius fecisse fertur «formulas in notitiam populi publicasse.»

Confusus esse videbatur editori ordo, quo Capitis 15 exhibentur paragraphi, nam verba «Capillum rutilum sibi ceromate faciebant,» Spartani nempe, leguntur in codice post § 16, in qua quum de Massiliensium moribus sermo fiat, Maius ista subiunxit § 6; at haud scio an recte fecerit, nam suum locum recte possunt obtinere post § 16 ante sequentem paragraphum, a qua interpunctione saltem non dividuntur, atqui sic legatur hic locus § 17: «Capillum rutilum sibi ceromate faciebant[.] Spartani, docebant etiam filios furari.»

Ridiculus error § 8 inquinat, quod Maius enim sic exhibuit: «Ut Lacedaemonii militaribus disciplinis, ita Athenienses *cunctis* officiis impense studebant,» exstat in codice: *cuucis*, iam longa disputatione opus non erit, qua evincam militaribus quae opponuntur, *civica* nempe, hoc loco esse legenda; id quod sequitur «in foro dicere» Maium retinere oportuerat.

Quod est in editione Cap. 16 § 15: «procedentibus *ad* bellum filiis,» legitur in codice *in*, quae praepositio recipi potest.

Scriptura codicis fefellit editorem Cap. 17 § 4: «Belli civilis victor neque imperatoris nomen meruit, neque triumphavit, neque diis gratias egit. Quamvis enim imperatoribus, civium tamen victoribus *minus* faverunt.» Nihili est ultimum illud, dum perspicue legitur in codice *muti* id est: *inviti*, mutata ergo interpunctione legendum est: «neque diis gratias egit, quamvis enim imperatoribus, civium tamen victoribus *inviti* faverunt.»

Maius male emendavit Cap. 18 § 1, ubi coniunctionem omisit: «Post Cannensem cladem multi equites Romani dignitate deleti *et* in aerarios relati sunt.» Librarius dederat: *delecti et in aerario*. Iam legamus: «dignitate *deiecti et* in aerarios relati sunt.»

Eadem vox similiter periit emendatione Cap. 19 § 2 in historia Africani cum piratis, qui ad Scipionem armatum scilicet venerunt, et «amplexi dexteram eius, osculis coluerunt, ac reliquere dona tamquam deo dicata. Laeti *ac beati tum denique* suam classem conscenderunt.» Codex autem habet: «*et leti ac beatitudine* s. cl. consc.,» quod equidem libens in textum receperim, si enim istos *beatos* Ianuarius dicere potuit, cur non dedisset: «et laeti hac *beatitudine* suam classem conscenderunt?»

Periisse suspicor exemplum ante primum Capitis 20, excerptum ex Valerio III, 1 § 2, nam ut sequens Catonis factum apud illum incipit per *Idem*, sic in Nepotiani codice legitur «*Idem Cato*,» quod pronomen Maius alto silentio presserat.

Ultimo loco Maii error notandus est, Cap. 21 § 1 in Coclitis historia: «denique soluta compage per cives, ubi accepit fragorem, cum armis se in Tiberim dedit, ac pariter et hostium victor et fluminis *superiactis* Etruscorum *telis meavit*.» Valde dubito an vel Nepotianus ultimum illud sic dicere potuerit; tum Maius ex accusativo fecit ablativum propter verbum istud *mtavit*, at hoc est, si recte cerno, *uitavit*, quidni

legamus cum codice: « cum armis se in Tiberim dedit, ac pariter hostium victor et fluminis, *superiecta* Etruscorum *tela vitavit*.»

His itaque triginta locis profuit codex iterum examinatus, in ceteris vero haud scio an multa corrigenda praebeat, sic enim se habet Collatio, ut errorum, ut ita dicam, potius sit receptaculum; attamen nolui eam mihi retinere, sed, ut chartae aliquantisper parceretur, pauciores tantum hic exhibeo lectiones omissis erroribus, qui ex librarii ignorantia nati esse videntur, orthographici praesertim et in nominibus propriis frequentiores, quales sunt: *e*, *ae* et *oe* permixtae, *i* et *y*, *c*, *g* et *s*, *d* et *t*, *c* et *t*, *i* et *l*, *f* et *ph*, *h* omissa, litterae duplices pro simplice aut contra, cetera quae sunt huius generis.

IANUARII NEPOTIANI

LECTIONIS VARIETAS

EX CODICE VATICANO LAT. N°. 1321.

Inscr. Ianuarii Nepotiani Scarpsum exord. | Epitoma rorum epithomatū | Valerii Maximi. itē epistola. | Praef. 2 tantum tantus v. 7 componit componat | producit ıducat v. 10 Recidam Recidas v. 13 nec vim ·ner- n | habebit habebat v. 16 otio orío tibique parco | cetero pueteres

Cap. 1 § 1 consulto consulato | in *Deest.* § 2 mul- continuit multa se continuat | esset esse | flamenque nen | haberetur loco sacerdos quam consul, res sacra quam toria. loco haberet sacerdos sacro quos consul victoriam. 3 Gaius Fl. adverso omine magister equitum esse noluit. Fl. eodem omne magis eque esse uoluit. § 4 ne uno Nec ı | accidisset occidisset | constituit. constituat. § 5 Furius Bibaculus Lírgulus ínuaculus | praetori pretor | ɔaculus inuaculus § 6 culeo culleo | occultioris oc- luoris | subtractum subtraɔum § 7 Gracchis remp. Grae- s remp | Et dea sacrificiis prop. ut dea satis receret. ɔp. § 8 senatu epistula seruatu epistola | Figulus ficulus | Corsica. et corsica et magistratu se abdicauerunt. | crede- ur etiam crederet t̄ § 9 Cum Dm | instare iacturam

sacerdotii. in sacre iachyram sacerdoti. § 10 Maximus maximi | dictaturam dicatarram § 11 P. Licinius Prelicinius | coercuit cercuit | ad pellendam appellendam | cineri cineris § 12 deiecit deiẽit | pervenit peruenīat § 13 C. Fabius Dorsuo Ti fabius dom̃ suo § 14 Tamphilo pamphilio | disciplinas cum disciplinas § 16 oportebat oportebāt § 17 gessisse cessisse | crederent crederet | in Iovis tensa iovis tense | id *Deest.* § 18 hospes hospitem | Potitis pontis | Potiti ponti | excaecatus excecetus § 19 abstulerant abstulerint § 20 Delphos defos | pervenerat perueniat | confugissent cum fugissent § 21 Antonii anatoni § 22 censor censor senatus | marmora marmore | Iunonis *Deest.* § 23 Pleminius Plenranus § 24 Eiusdem Eius § 25 regem rege | Inscripsit quoque Inscripsitque

Cap. 2 § 1 fanum planum § 2 dominationis dominationes | dare aere § 4 navibus appulere naues impleuere § 5 exusti publice exusti | quia quos | ignorare se an dii ignorandi | posse non possent § 7 ipsi irati ipse ratum | Athenienses ateniense § 8 Diomedon diomedes | pro per

Cap. 3 § 1 Pompilius popilius | consuetudine consuetudinem | confinxit confixit § 3 illo bellum

Cap. 4 § 1 peregrina fe|et peregrina § 2 Chaldaeos Caldaeos igitur § 3 privatas priuatos § 4 Lutatium lutantium | praenestinae fortunae prenestinam fortunam | pro incertis ex incerta | patriis patris

Cap. 5 § 1 auspiciis auspiciorum auspiciis | Remo remulo | Romulus romolus § 2 Rex *A linea.* | sciscitari num citari con | concitatus conciatus | Novacula Nauo § 3 Tiberius Titus | gesto gesta | in *Deest.* § 4 cum dixisset condixisset | proici phici § 5 neglecto neglesto | Romam roma § 6 Cicero r̃a | caletano saletano | insectante inseſtante | sic rescidit sicce scidit | ea excuteretur eam excuteret § 7 pugnavit pu-

gauit | convenientes conuenire in se | Caesarem est Caesarem est augustum | fugit illa fugiat | Bruti advenerat parte brucia diluxerat porte § 8 tetrarchae in iter tetharche inter | cecinit cecinxit

Cap. 6 De ominibus. De omnibus. § 1 Veios belos | omini omni § 2 fortuna ut fortunauit § 3 evenit euenit e | invenit inueniat | nomine omne § 4 aquam aquatur | litus tus § 5 κακὸν βασιλέα caubasilea | Scaevum seuum § 6 Rhodum solum | in Macedonia macedonie

Cap. 7 § 2 milia N̄ | potitus pontus § 3 Sylla contra Samnites Si illa conaria saemtus § 4 Mox m̄ | Postumio haruspice post homo aruspici § 7 in sequenti sequenti | clamavit clamamauit | Sardinia sardina | Cn. Domitii bos *A linea:* Claei domnibos | punico punicio | Roma. romo. § 8 caesa fusa | Romanorum milia roma N̄ | fugerunt milia fugierunt N̄ § 10 caesaeque seseque | Refugit *A linea:* Refugiat | repetitum repertitum | cautissimus a Flavio cautissim et flauo § 11 sacrum sac^{m} eolemenib; | sequentia nimis sequente animis § 12 terra terre | collega a collega § 13 altera est altera § 14 obsedere obsidere § 15 Trallibus arallibus § 17 praenunciatum pronuntiatum

Cap. 8 § 1 somniis sōnis | intento intentio § 3 bello belle | alterius alterius partis ducem alterius | is se ipe | facta fata | mori more § 4 atinatis altinatis § 5 somno sonio | vidissent uidisset § 6 serpentem serpentum § 7 magnus magni § 9 regi cum persarum regi | pulcherrimus fortissimusque pulcherrimi fortissimique | qua e qua § 10 somno sōnio

Cap. 9 § 3 collectus collecto | Urbe *A linea.* | Romam romani | triduo tripio § 4 num cum § 5 Coriolanum conuolanum | rite ritem § 6 Tarquinio terquinio | Veientesque ueletesque | cadent caderent § 7 praecipuus et precipuus | Brutios bricios | hostium in hostium | primus priuas | audiretur audiret | Marti ma-

riti § 8 Lavinio transtulerat. lauio albam aranstulerat. | Lavinium lauium | rediere. redieret. § 9 Itaque *A linea.* § 13 vado in uado | movit *Deest.* § 15 plurimaque plurimamque § 21 exegere exigere | dixit duxit § 22 quadriga quadrigua | ἅρμα arma | Pausanias pausianas | vicit uiciat § 24, 25 Prusias pausianas § 25 sicui si cuius | loculo culo | inclusus inclusus est | habuerunt pro dentibus pro dentibus habuerunt § 27 civitate ciuitas | Strabo ferabo | speculans speculantem § 30 dictamnum diptamum § 31 Cephalenia Cephalia § 33 vis ui § 35 in ut | *Post* § 36: Item et Myrna asye ciuitas potens.

Cap. 10 § 3 diceretur. dicaretur. § 8 puber puberes § 10 obvios oluuos | redirent reducerent § 11 convivis conuiuiis § 12 incendendam incendandam § 13 proditor proditorum § 15 Samnitium sannitum § 16 desiluerit dissiluerit | explorandum exemplorandum § 17 hodie in die § 18 iecerunt recerunt § 20 forensem turbam fore sequentes § 21 iis *Deest.* | Primus *A linea.* § 22 Confisi Fisi | Rutilio rollo | CN. gu

Cap. 11 § 3 Histrio vocabatur historio uocabant | histriones historiones § 4 fabula stabula | hi nec hi et § 5 spectantes expectantes § 6 fervorem uoporem § 7 Ditis dictis | sospitate sospitate celebratur | nigris et nigris | lectisternia lectistema § 8 Spinther pinther | tibicinum ex tibicinum | ac a § 9 Athletas athletos | Scaurus staturus

Cap. 12 § 1 Glabrio gabrio | ob ab

Cap. 13 § 1 aptioribus apcioribus | curulis cururis | curulem curule

Cap. 14 § 1 Tibur tiburtum | quod temulenti quo temulanti § 2 Poenos penas

Cap. 15 § 1 frugalitatem fragilitatem § 2 ex et | cognoscerent consuescerent § 3 Iones Paiones | secundae mensae sede mesie § 4 *praecedenti adhaeret.* | primum

primus | venit uidit § 6 coccineis coccinis | alacriores-que fierent alacriorque fieret | cognoscerent. cognosceret. | ceromate cocta | Capillum — faciebant. *post* § 16. § 7 confectis et mitti § 8 cunctis cuucis | ingeniosius ingnuoſus § 9 conciliis consiliis | Bonos *A linea.* | coronabant publice coronabant | Pericli piculi | servitutem revocabatur seruitute reuocabant § 13 gladius clauus § 16 hospes hostis § 20 puberes pubes | ante miliciam *ad seq.* § *pertin.* § 23 luget lugent § 25 quaestu questum | foeditate seditate

Cap. 16 § 1 Numantiam numatiam | lixis e lixisse | aequaret exaequaret § 2 Sicilia siliciam | Taurominitanam tauromitanam | fugitivorum fugitiuarū § 4 percuti perditi § 5 discedens descendens | Mallius regressus mallius § 7 adfixit afrixit § 9 pugnantem pugnante § 10 neve neue uel | rediret redirent | Haec in haec § 11 adfici affixi § 13 quamvis quam § 14 Clearchus Crearchus | hostem hoste § 15 ad in

Cap. 17 § 3 Opimius opimius fuluius | alter alter id est opimius | Fregellanis fregallanis § 4 minus inuiti

Cap. 18 § 1 deleti in aerarios delecti et inerario | abituros. habituros.

Cap. 19 § 2 agebat egebat | Quod cum duces *A linea:* Quod cumque duces | Laeti ac beati tum denique et leti ac bītudiē

Cap. 20 § 1 Cato Idem cato | quin qui § 2 potitus pontus § 3 protexit. pretexit.

Cap. 21 § 1 Cocles coꝺes | Romam romani | sublicium Tiberis subsilicium tiberus | post tergum leonem | superiactis telis meauit superiecta tela mtauit § 2 Haec huıce | innatavit. innotavit. | quippe Porsennae quid persenne | ei eius § 3 nixam rixam § 4 cum sola arx et consolatrix ex | his collibus hispanis | tutiora tuiciora

EPITOME ARTIS METRICAE

EX LIBRIS VI AUGUSTINI DE MUSICA.

In eodem eximio Codice Vaticano Lat. N°. 4929, unde Angelus Maius protraxit Paridis ex Valerio Maximo Epitomam, exstat liber simili modo ex longiore excerptus et in brevius contractus, quem idem ille editor publici iuris fecit eodem tomo III Collectionis Scriptorum Veterum e Codicibus Vaticanis, pars III p. 116—134 (Romae 1828). S. Aurelius Augustinus Hipponensis Episcopus scripsit circiter annum Christi 389 Libros VI de Musica, qui de Re Metrica a nobis potius inscripti essent, nam de hoc argumento per dialogos tenuissimo filo deductos disputat auctor. Pervenerunt ad nos sex illi libri integerrimi, et vel sic tamen Maius se laborem haud irritum facturum sibi videbatur edendo opus illud « priscum ex antiquissimo libro manuscripto, ex Augustino quidem defloratum sed elocutione variatum miraque brevitate contractum.»

Paucis annis post Parisiis (1836) prodierunt iidem Augustini libri integri ad manuscriptos Bibliothecae Regiae recogniti atque emendati. Hanc ergo editionem quum ad istius Epitomae collationem meam adhiberem, repperi in hoc quoque libro Maium passim eadem chorda aberrasse, et nova de suo inseruisse, etiamsi manuscriptus liber cum editione conspirat. Iam lubet scriptorem de re metrica vitiis laborantem sanare.

Minora ista in Cap. III vers. 11 et 13 *ad* pro *et* non urgeo, cf. Aug. I, 15 pag. 32, in utroque loco editorem vera ratio fugit.

De suo dedit Maius ibid. v. 16: «Minor numerus metitur maiorem, id est aliquotiens *habet minorem* maior.» Restitue ut est in codice et edit. p. 34 *eum habet.*

Similiter v. 19: «Aliud genus est, in quo ea, *qua pars* excedit maior minorem,» reddendum est Augustino: *pars, qua.*

Cap. IV de longitudine sonorum ubi disputat, v. 14 omittit «illas *extra* capacitatem sensus nostri porrectas temporum metas.» At dixit *ultra*, quemadmodum editur I, 28 p. 47.

Bis omisit Maius verbum unum Cap. V (Aug. II, 1 p. 49) v. 3: «Cum dixeris cano, vel in versu *forte* posueris,» et v. 7: «nisi quia *hi* qui ante nos fuere.»

Contra male irrepsit vocula in textum versu sequenti «grammaticus nil aliud asserens cur hanc (priorem syllabam verbi: cano) corripi oporteat, nisi quia hi qui ante nos fuere, ea [*pro*] correpta non producta usi fuerint.» Fugerat editorem punctum quo praepositio, quae male librario exciderat, delenda esse significatur.

Reddendum est pronomen, quod excerptor Cap. VII, v. 27 ex Augustino II, 26, p. 81 describens omittere non potuit «primum et secundum (epitritum) invenio *sibi* posse copulari.»

Codex emendate exhibet Cap. XIII, v. 3 quemadmodum Aug. III, 18, p. 103: «in repetitione *tanti* spatii silentium interponere coegerunt (aures), quantum syllaba occuparet brevis.» In editione Romana est *tantum.*

Typothetae fraude fortasse *II tempora* legitur Cap. XIV v. 13, ubi Aug. III, 20 p. 106 et codex exhibent: «Ergo VII tempora habet versus, dum unum membrum habet *III tempora*, aliud IIII.»

Interiit totus versus e pyrrhichiis Cap. XV, v. 21: «VI. semis: vaga levia fragilia bona. *VI. pleni: vaga levicula fragilia bona.* VII. semis.»

Peccavit contra metrum qui illam artem docebat, in exemplo quod brevibus syllabis constat, ibid. v. 25:

«Solida bona bonus amat, et ea *quae* amat, habet.»

Sed non ita est, Maius scribere debuerat *qui*, ut est apud Aug. IV, 4, p. 117.

Revocandum est vocabulum nescio cuius iussu fugax, Cap. XVI, v. 22, ubi partibus eiusdem versus aequalibus transpositis dicit: «Neque enim minus *idem* stat versus, si ita *pronuntietur*.» Tum lege *pronuntiatur*, quod respondet Augustini V, 2, p. 155, *profertur*.

Minus recte Maius reticuit vocabulum Cap. XVII, v. 15: «Quamquam hic ratio appareat, forte tamen (prima manu *tunc*) *novitas* aliquos conturbat.» Est enim locus excerptus ex his verbis discipuli Aug. V, 9, p. 162: «Quanquam mihi satis ratio appareat, tamen novitate conturbor, non enim solemus in hoc genere nisi spondeum pedem et dactylum scandere.»

In fine Cap. eiusd. tres litterae exciderunt: «Eodem *quo*que modo.»

Pro praesenti tempore Cap. XVIII in fine legendum est: «quem numerum versui, sicut satis *cognovimus*, non fas est excedere,» ut Augustinus scripsit V, 19, p. 173.

Sententia in Maii editione Cap. XIX, v. 20 vitio laborat: «Itaque inconversibiliores, ut ita *dicamus*, quam illi, qui aut omnibus brevibus, aut longis omnibus constant.» In codice contra recte exstat «ut ita *dicam*, *sunt*.» Nec aliud scripsit Aug. V, 21 p. 175.

Levius vitium corrigendum est Cap. XX, v. 3 «quoniam *hic* de numeris agimus.» In libro est, ut apud Aug. V, 23, p. 176 *nunc*.

Denique pronomen rescribendum est in fine eiusdem capitis: «Tamen si quis audeat, et faciat tales versus, manifestum est eum alia genera senariorum esse facturum, quibus sunt *ista* meliora,» cf. Aug. ibid. p. 177.

His igitur emendatis quae supersunt aliis relinquo, in quorum usum eam Lectionis Varietatem proferam, in qua orthographiae nullam habui rationem, quod in epitoma, qualis est hoc S. Augustini opus abbreviatum mihi visus sum tuto facere posse.

EPITOMAE ARTIS METRICAE

LECTIONIS VARIETAS

EX CODICE VATICANO LAT. N°. 4929.

Inscr. Aurelii Aureli *eras.* | Augustini Aug̃.

Cap. I Musicae definitio. *Desunt.* v. 5 qui motus *Rubr.*

Cap. III v. 5 aliqua sibi sibi aliqua | v. 11 II ad IIII II et IIII | v. 13 IIII ad XI IIII et XI | v. 16 habet minorem eum habet | v. 17 II ad IIII II a IIII | v. 19 qua pars pars qua

Cap. IV v. 14 extra capac. ultra capac.

Cap. V v. 3 posueris forte posueris | v. 7 quia qui quia correpta producta hi qui | v. 8 pro correpta non producta producta non correpta

Cap. VI v. 15 utroque utraque

Cap. VII v. 16 Tametsi tamsi | v. 27 posse sibi posse

Cap. VIII v. 3 velut vel | v. 25 versus est versus &

Cap. IX atque aeque | v. 5 inpulsu impulsu | v. 6 sonum ita sonu ita et | v. 10 et cymbala sive cimbala

Cap. X v. 6 hic proceleusmaticus rhythmus hoc proceleusmaticum rithmum | v. 15 dactylus anapestus proceleusmaticus dactilum anapestum proceleumaticum | v. 29 simplum et duplum simplam et duplam | v. 30 temporum temporibus | v. 38 posteriores sunt posteriores

Cap. XI possunt possint | v. 5 duae possint duas posse

Cap. XII v. 10 aliqua aliquid | v. 14 Sed hoc sed haec

Cap. XIII v. 3 tantum tanti

Cap. XIV v. 15 II tempora III tempora | v. 25 claudatur clauditur

Cap. XV v. 7 syllaba syllabam | v. 10 syllabis brevibus syllabas breves | v. 21 VII semis VI pleni : vaga levicula fragilia bona. VII semis | ib. fluida *Cod.* frugida *Corr.* 1 *man.* frigida | v. 25 quae amat qui amat | v. 28 producentes producunt | v. 29 Copulatis pedibus Copulati pedes

Cap. XVI v. 22 antemnarum. Neque antemnarum cornua. Neque | ib. minus stat minus idem stat | ib. pronuntietur pronuntiatur | v. 28 v semipede v semispede

Cap. XVII v. 7 heroicus versus sit metiendus heroïcum versum sit metiendum | v. 11 aut IIII IIII | v. 15 violetur violentur | ib. tamen tunc novitas, 2. tamen | v. 24 una syllaba unam syllabam | v. 38 esse praestantius *Leguntur* v. 37 *inter* veritatis *et* auctoritate | v. 41 inveterata in veritate rata | 4 a. f. Eodemque Eodem quoque | 3 a. f. videtis 1 *man.* vidistis

Cap. XVIII v. 7 III vel IIII 1 *man.* II vel III | ib. unum esse unus esse | v. 10 quem quodque | v. 17 semipedes 1. semipedum, 2. semipedem | v. 18 ista quam ista quae | p. 131 v. 2 referri referre | v. 12 altera in uno alteram unam | v. 27 VII secundum VII invenitur | v. 32 unus hinc unum hinc | v. 33 quia — par qua — pars | p. 132 v. 5 cognoscimus cognovimus

Cap. XIX v. 21 dicamus dicam sunt | v. 23 nihil interest nihil enim interest

Cap. XX v. 3 quoniam hic quoniam nunc | v. 11 isti prius ista prius | v. 25 sunt meliora sunt ista meliora

Cap. XXI v. 4 per hoc pro hoc | v. 15 Sin III si in III | 5 a. f. ducta ductam.

Subscr. Aurelii Augustini AVR·AVG·